PHILOPISTVS
Orthodoxæ Fidei veritate
INSTRVCTVS,

Per P. IOANNEM CHRYSOSTOMUM à S. PAULO Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum Sacerdotem.

&

RR. PP. CAPITVLARIBVS Polonæ Provinciæ Varſaviæ Congregatis

OBLATVS,

Anno Dñi 1691. *die* 10. *Menſe Aug.*

Christiani Casimiri Risü.
ao 1698. d. 5. Julij.

VARSAVIÆ,
Typis Collegij Scholarum Piarum.



Iſthmus Olympiacis effervet Dorica ludis,
Vnde coronato vertice victor abit.
Itur ad accinctum Phœbeâ fronde coloſſum,
Aurea ſubductus munera nutrit apex.
Sed decorent alias Athletica præmia frontes;
Sola MARIA *meum Meta coronat opus.*

APPROBATIO.

ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI

LOCI ORDINARII.

CVM ex commiſſione R^{mi} Patris Generalis Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum hic liber à Theologis ſit examinatus : Nos eum per Diœceſim Noſtram, Varſaviæ imprimi concedimus. Anno Dn̄i 1691. Varſaviæ, die 1. Iulij.

Stanislaus
Epiſcopus Poſnanien.

Facultas Imprimendi

R. P. ALEXII à Conceptione Præpositi Generalis.

ALEXIUS à Conceptione Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Præpositus Generalis.

CUM librum cui titulus Philopistus Orthodoxæ Fidei veritate instructus, à P. IOANNE CHRYSOSTOMO à S. PAULO *Nostræ Religionis Sacerdote conscriptum, duo Theologi ex nostris, quibus commisimus, recognoverint, & in lucem edi posse approbaverint; Nos si ijs, ad quos spectat, ita videbitur, ut typis mandetur facultatem in Domino concedimus. Datum Romæ in ædibus Nostris Scholarum Piarum S. Pantaleonis die* 8. *Maij* 1691.

Alexius à Conceptione
Præpositus Generalis mpr.

Carolus à S. Petro
Secretarius mpr.

PHILOPISTVS
Orthodoxæ Fidei Veritate instructus.

INTENTIO AUTHORIS.

QVoniam ſolemne eſt Acatholicis ad Sacra Biblia provocare; Dei gratiâ fretus intendo breuiter rationum efficaciâ & Sacrarum Scripturarũ contextu Orthodoxæ Fidei veritatem oſtendere: & licet in decurſu operis aliquas ſcripturas accomodato ſenſu ſim allaturus; tamē quæ ad propoſitionis confirmationem faciunt, iuxta propriam verborum vim aut de verbo ad verbum, aut aliquando ſecundum genuinam ſententiam brevitatis causâ, deducere conabor. Concedat Dn̄s IESUS, ut ad confirmationem credentium, & ad incredulorum lumen ſit ſermo meus, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs, & virtutis. Amen. 1. Cor. 2. 4.

ARGUMENTUM I.
De neceſſitate Fidei, eiusq; eſſentia.

PROPOSITIO I.
Homo homini credere debet.

PRimùm quidem, chariſſime Philopiſte, ho-

homo homini credere debet, ut plurima non ignoret. Quis enim omnium rerum cognitionem vel experientiâ, vel discursu consequi possit? Quis hominum habet, vel habuit, vel habere possit omnia præsentia, ut per seipsum videre, & intelligere valeat? Altitu-
Eccli. 1. 2. dinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum Abyssi, quis dimensus est? Multa ergo credere oportet dicenti, vel quia reperiuntur ab historicis scripta, vel à Præceptoribus, vel à Parentibus traditione quadam Patrum, & seniorum, in filios, & iuniores, insinuata. Cur enim credis esse loca, & urbes ubi non fuisti; fuisse Atavos, quos nunquam vidisti; res huiusmodi esse, quas sensu alio non percepisti, quàm auditûs? Credis profectò, quia aut ex libris legisti, aut ex aliorum relatu percepisti. Quis verò tibi refert, quæ credas, nisi homo; tibi legenda scripsit, nisi homo? Credis ergo homini homo; quod nisi facias, amens iudicaberis. Si ergo in humanis, & transitoriis fides est habenda humana; in æternis, atq; divinis divina fide erit ab hominibus in homines recipienda: un-
Rom. 10. de ait Apostolus Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt
v. 14. Quomodo autem audient sine Prædicante
15. Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur
v. 17. & Paulò post: ergo Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Igitur si quem audis ut

dis ut credas, homo hominem audis; si quem
legis ut credas, scripta hominis legis; li-
brum ab homine scriptum, ab homine typis
impressum, ab homine tibi traditum legis.
Vnde ergo credis, nisi quia Homo homini
credis? Quod si in plerisque non credis, in
alijs plerisque utique credis. Nihil enim cre-
dere, absurdissimum est, & Hominis condi-
tionem excedens.

PROPOSITIO II.

Multò magis DEO credendum.

SI homo Homini credat, quantò magis
DEO credendum, qui est super omnia?
facilè est enim homini mentiri, cum scri- *Ps.* 115.
ptum sit: quod Omnis homo mendax; qui-
videlicet & decipere, & decipi potest; sed
impossibile est mentiri Deum, qui est prima, *Heb.* 6.
summa & immutabilis veritas. Cui adhę- 17.
rens Apostolus & Magister Gentium di-
cebat; scio cui credidi, & certus sum, quia 2. *Tim*
potens est depositum meum servare in illum 1. 12.
diem: De Patriarcha verò Abrahamo dicitur
Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi *Gen.* 15
ad iustitiam. Quia videlicet ex fide diuina est 6.
ut ordinemur in finem supernaturalem, qui
Hominum Vires excedit. Quamobrem ad
tantæ retributionis iustam mercedem, non
ex operibus nostris tanquam ex nobis, sed ex
DEO revelante, promittente, & impu-
tante ad iustitiam in meritis Filij sui Dñi

Noſtri IESU Chriſti, pervenire conceditur. Quis verò Deo non credat? Nemo hominum tam vilis, cui aliqua fides non habeatur. Maior autem ſapientioribus & eminentioribus; quantò magis Deo, qui ſapientiâ præcedit omnia? unde ſi extrinſecus audiendi ſunt homines, ut credamus; quantò magis in cordis noſtri penetralibus Deus eſt audiendus ad fidem præſtandam? Dicenti propterea Deo per ſuum Prophetam Baruch; Audi Iſrael,
Baruch. mandata vitæ: auribus percipe ut ſcias pru-
c. 3. 9. dentiam; reſpondeamus cum Davide, ô dilectiſſime Philopiſte; Audiam quid loquatur in me Dñs Deus, quoniàm loquetur pa-
Pſ. 84. cem in plebem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos,
v. 10. & in eos, qui convertuntur ad cor. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo; ut con-
Hebr. cludit Apoſtolus ad Hæbreos *Cap.* 11.*v.*6. Qui
11. 6. enim illi non credunt, quomodo poſſunt illi placere?

PROPOSITIO III.

Difficultas credendi.

...53. VErùm, quis credidit auditui noſtro? aut
1. Brachium Dñi cui revelatum eſt? & qui
Ioan. tanta ſigna viderunt ut crederent, & non cre-
12.37. diderunt; quomodo credent, qui nihil experti ſunt? ſed non omnes obediunt Evangelio, & tamen omnes ſe vera credere profitentur. Hæc dicit Dñs, aiunt Prophetæ: hæc dicit Dñs; & PſeudoProphetæ clamant; &

quis

quis diſtinguat lucem à tenebris? Pontificij
dicunt: ecce hic eſt Chriſtus: Proteſtantes
contradicunt; non hic, ſed alibi; alibi Græ-
ci, alibi demonſtrant alij; Chriſtus verò mi-
natur non credentibus pœnam; credentibus *Marc.*
periculum; & cuinam credendum? Dicit e- *16. v. 16.*
nim Marcus; qui non crediderit condemnabi- *Id. 13.*
tur. Et idem ſimul cum Evangeliſta Mat- *23.*
thæo: ait: Tunc ſi quis vobis dixerit; ecce *Matth.*
hic eſt Chriſtus, ecce illic; nolite credere: *24. 23.*
exurgent enim PſeudoChriſti, & pſeudopro-
phetæ, & dabunt ſigna, & portenta ad ſedu-
cendos, ſi fieri poteſt, & electos. Ecce Moyſi
credunt Hebræi, non Chriſto; Saraceni nec
Chriſto, nec Moyſi, ſed Mahometi: Ethnici
nemini, ſed rationi, & Idolis; Chriſtiani, &
Chriſto, & Moyſi; in ſingulis verò tanta cre-
dendi varietas, ut referri non poſſit; ſe tamen *Ephes.*
omnes in via veritatis eſſe gloriantur. Inte- *4. 5.*
rea clamat Paulus ad Epheſios. Vnus Dñs,
una fides, unum baptiſma, unus Deus, & Pa-
ter omnium. Quo te vertas Philopiſte? qui-
bus attendes, ut poſſis dicere: Hic eſt Deus,
qui revelat Myſteria? Quis enim hominum
poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit *Sap. 9*
cogitare, quid velit Deus? cogitationes e- *13.*
nim mortalium timidæ, & incertæ providē-
tiæ noſtræ. Difficilè cognoſcimus quæ
in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inve- *16.*
nimus cum labore; quæ autem in cœlis ſunt,
quis inveſtigabit?

PROPOSITIO IV.

Nihil tam falsum, quod affirmari non possit.

QVò autem humani arbitrij temeritas erumpit, ut falsissima quæque, si velit, affirmare non vereatur? Tunc pro ratione voluntas instat, ut quod placet, comprobetur, & technis ipsis, reluctante veritate defendatur. Quid certius in physicis motu? & tamen non defuerunt, qui mordicùs motum esse negarent? Quid communius sensibus ignem urere, nivem esse albam, aquam esse frigidam, & eiusmodi alia? & tamen scepticis nihil est certum. In Matemathicis verò quid Euclidianis Theorematis evidentius? & nihilominus Euclidomastrix non defuit; & quid omnium linguis, & scientijs magis cõprobatum, quàm Deum esse? & tamen non
Ps. 12. modò dixit insipiens in corde suo, sed no-
2. stris etiam temporibus dixit quidam in Regno Poloniæ; non est Deus. Et in huius sacrilegi argumenti perverso Themate tot ad seducendum congesserat ratiocinia, ut ignem promeritus fuerit. Tanta est perversæ voluntatis licentia! Quod si falsum affirmare quis audeat, eadem facilitate & veritati contradicere non erubescet; & inani disputandi philosophia potens, si contradictionibus devincatur, non tamen confundetur, ut sileat. Quamobrem dicebat Apostolus ad

Timo-

Timotheum. Finis autē præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; à quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium: & alibi; stultas autem, & sine disciplina quæstiones devita; sciens, quia generant lites. *1. Tim. 6.* *2. Tim. c. 2. 23.*

PROPOSITIO V.

Quid sit fides Divina.

CVm itaq; & omnia in dubium revocari possint, & omnia hominis liberâ electione affirmari, & negari, an omnium eadem est Fides? An etiam impossibilia credi possunt? sed definitur Fides, sperandarum substatia rerum; Impossibilia autem nemo sperat: Fides ergo non est impossibilium. *Hebr. 11. 1.* Quæ igitur credenda eliguntur, intellectui saltem demonstranda sunt non esse impossibilia; sed quid est Deo impossibile, nisi quod manifestâ & verâ contradictione mentis inuoluitur? ideo dicitur in Evangelio: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Luc. 1. 37.* An ergo omnia possibilia credenda? Absit; neque enim omnia possibilia sunt sperāda: Fides autem Divina est substantia sperandarum rerū; neq; quis sperare iubetur plures fore mūdos, & si plures esse non implicet. An non etiam Deum esse unum, & trinum credimus, & tamen esse talem non speramus; quis enim sperare velit, ut sint, quæ sunt? exinde verò omnis veritas, quæ à Deo est, quoniam vel

revelata est, vel revelari potest, ad fidem pertinere videtur; unde additur, quòd fides, est Argumentum non apparentium. Quatenùs ergo ad certitudinem pertinet, quæ vera sunt, scimus, & credimus vera esse, & non speramus; sed quatenus fidei veritas per lumen gloriæ est illustranda; hoc ipsum dum credimus, & speramus; ut quod per fidem in obscuro nunc videmus, revelata Dei facie, manifestè, & evidenter contemplemur. Nunc enim, ut ait S. Paulus ex parte
1. Cor. c. 13. cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autē venerit quod perfectū est, evacuabitur, quod ex parte est (nimirum obscuritas fidei, gloriæ claritate superveniente cessabit; quod certò speramus) videmus nunc per speculum (scilicet fidei) in ænigmate (quia quæ non apparent, credimus:) tunc autem facie ad faciem: (quia quod speramus eveniet; ut revelata facie gloriam Dñi speculantes
2. Cor. 3.18. in eandem imaginem transformemur, à claritate in claritatem, tanquam à Dñi spiritu:) Nunc cognosco ex parte; tunc autem co-
1. Cor. 13. gnoscam sicut & cognitus sum. Patet ergo quomodo Divina Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

PROPOSITIO VI.

Fides est donum DEI.

SI verò fides divina est, donum Dei est; nā vero-

verorum eſt, quæ ſperamus aliquando videre, quibus nunc ex authoritate revelantis aſſentimur; ſi quis uerò credat falſa, fidem divinam non habet; Deus enim falſa non proponit credenda, quæ neque ſperari poſſunt, quamquam poſſibilia eſſe poſſint. Si quis autem ſine ſpe credat, ſpeculatori potiùs ſimilis, videtur quàm fidelis habendus; fides autem divina, & humanum intellectum ad veritatem intuendam invitat, & voluntatem accendit ut ſperet, quæ proponuntur, clariùs in altera vita videnda; & ad ſupernaturalem finem nos dirigens ſupra vires noſtras elevat mentem, ut in charitate Dei, omnia operetur, & propoſitum finem conſequi poſſit; Niſi hoc fiat, quid prodeſt credere? nam ſecùs & Dæmones credunt, & contremiſcunt. *Iacob. 2. 20.* At non hoc donum Dei? Nam ſufficientes non ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *2. Cor. 3.* Quamobrem dilucidè ad Epheſios dicitur. Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim Donum eſt; *Eph. 2.* non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto IESU in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Cùm itaq; Theologica fides, donum ſit Dei, quomodo habebis illud mi Philopiſte? niſi Deus gratis conceſſerit? Non eſt enim volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *Rom. 9. v. 16.* Deus eſt enim

qui

Philip. qui operatur in nobis, & velle, & perficere,
2. 13. pro bona voluntate.

PROPOSITIO VII.
Veræ fidei receptioni præcedit humilitas.

QVid ergo dicemus? si Divina fides, est
Donum Dei; ergo cuius vult misere-
Rom. 9. tur, & quem vult indurat. Quid adhuc qvæ-
ritur? voluntati enim eius quis resistit? Nun-
quid iniquitas apud Deum? Absit. Nam in
Act. 10 veritate comperi (ait S. Petrus ex Deuter.
34. c. 19. 17.) quia non est personarum acceptor
Deus: sed in omni gente, qui timet eum, &
operatur iustitiam, acceptus est illi: Quid
igitur? qui omnes homines vult salvos fieri,
1. Tim. & ad agnitionem veritatis venire, cur divi-
2. næ fidei donum omnibus non concedit? si
Jo. c. 6. nemo potest uenire ad Christum, nisi Pater
44. traxerit eum, quare ad ipsum omnes non
trahit? An omnes salvos facit in propria fide
1. Cor. cui placuit per stultitiam prædicationis sal-
1. 21. vos facere credentes? Quomodo ergo scribi-
tur de ijs, qui pereunt, eò quod charitatem
veritatis non receperunt, ut salvi fierent;
1. Thess. ideo mittet illis Deus operationem erroris,
2. 10. ut credant mendacio, ut iudicentur omnes,
qui non crediderunt veritati, sed consense-
Rom. 9. runt iniquitati? O homo, tu quis es, qui re-
20. spondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei,
Sap. 15. qui se finxit; quid me fecisti sic? Annon
habet

habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſ- *Iſa.* 45.
ſa facere aliud quidem vas in honorem, ali- *Ier.* 18.
ud verò in contumeliam? Quantò magis De-
us omnium abſolutiſſimus Dñs facere poteſt
de hominibus, quidquid ſibi placuerit? In 2. *Tim.*
magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa au- 2. 20.
rea & argentea, ſed & lignea & fictilia; &
quædam quidem in honorem, quædam aut
in contumeliam. Tu verò quantus es, o ho-
mo, ut poſſis comprehendere conſilia Dei?
An quia non intelligis, non fidis te Deo cõ-
mittere? An quia prædeſtinationis, & gratiæ
ſecreta non penetras, putas de te male Deum
cogitaſſe? ſi DEUS eſt ipſa bonitas, quid mali
poteſt in te moliri? ſi igitur malum non mo-
litur, perditio tua ex te; ſi bona omni creatu-
ræ Deus præparat, quid anceps cunctaris, nè
bene credas? quid negligis, nè bene facias?
An quia non accepiſti, ut credas, & facias?
Quid autem habes, quod non accepiſti? 1. *Cor.* 4.
Habes corpus, mentem, potentias, ut cogno-
ſcas, ut velis, & quantus es, totus à Deo es,
& dependes, ut ſine ipſo nihil ſis, nihil poſſis
nihil opereris; Ipſius enim ſumus, & in ipſo
vivimus, movemur & ſumus: Quod ideo *Act.* 17.
tibi cognoſcendum proponitur, ne inde 28.
glorieris, quaſi non acceperis. Sic ergo & in
vita ſupernaturali omne datum optimum, & *Iac.* 1.
omne donum perfectum deſurſum eſt deſcen- 17.
dens à Patre luminum; ut ſi abundes, nè
glorieris, quaſi non acceperis; ſed ex tali

cogni-

1.Per.5. cognitione humilieris sub potenti manu
Id. 4.6. Dei, qui dat omnibus affluenter, sed superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Si
Matth. autem non habes, opus est ut quæras; nam
7.7. qui petit, accipit; & qui quærit invenit, &
Sap. 1. pulsanti aperietur: Quare omnibus Sapientia clamat. Sentite de Dño in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum; quoniã invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet aut eis, qui fidem habent in illum. Id est ut fidant illi, & non sibi. Et Christus ad Pa-
Matth. trem ait. Confiteor tibi Pater, Dñe cœli, &
11. 25. terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pa-
Ps. 17. ter quoniã sic fuit placitum ante te: quoniam
28. tu populum humilem salvum facies; & oculos superborum humiliabis.

PROPOSITIO VIII.

Vera fides ratione humanâ non potest demonstrari.

QVoniam verò quicunque rectè credit, Dei beneficio credit, ad revelatorum assensum nulla demonstratione ducitur: demonstratio enim intellectum humanum necessitate evidentiæ in habente ipsam conclusionem ex proprijs naturæ principijs ad consentiendum inducit. Cùm verò dictum fuerit, quòd arbitrij humani licentiâ, etiam quæ demonstrantur, illudi possint; quantò magis quæ demonstrari non possunt? Imò

quan-

quantò magis quæ ſuperant capacitatem
mentis creatæ; & mundi huius Philoſophiæ
rationem tranſcendunt? quare ad Coloſſen-
ſes ſcribebat Apoſtolus: Hoc autem dico, ut *Colos.*
nemo uos decipiat in ſublimitate ſermonum: *2. 4.*
& paulò poſt: videte ne quis vos decipiat per
philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecun-
dum traditionem hominum, ſecundum ele-
menta mundi, & non ſecundum Chriſtum:
& monuit Eccleſiaſticus dicens: Altiora te,
ne quæſieris; & fortiora te, ne ſcrutatus fu- *Eccl. 3.*
ris; ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita *22.*
emper, & in pluribus operibus eius ne fueris
urioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium ea,
uæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. Nã,
cut qui mel multum comedit, non eſt ei bo- *Prou.*
um: ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis opprime- *25. 27.*
ur à gloria. Inde enim multi exciderunt,
uia quòd fidei divinæ eſt, voluerunt ſuis ra-
onibus, nimiùm hominum capacitati acco-
odare, & ſic amiſerunt donum, dum pro-
riæ voluntatis opiniones elegerunt pro fide;
uæ ſi donum Dei eſt, non ex hominum ele-
ione eſt; ut quæ rationibus humanis pro-
ntur, illa ſolummodò vera ſint: ſed ea o-
nia, veræ fidei erunt, quæ à Deo revelata *Eccle.*
nt, quamquam hominum iudicio non pro- *c. 8. 17.*
ntur. Hinc ait Eccleſiaſtes, & intellexi
od omnium operum Dei nullam poſſit ho-
invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub
e: & quantò plus laboraverit ad quæren-

dum, tantò minùs inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

PROPOSITIO IX.

Vera fides humanæ rationi non repugnans, ratione humana suaderi potest.

SEd tamen, quia quæ vera sunt, menti non repugnant cùm verum, sit obiectum eius, Divina fides nullatenus rationi humanæ repugnat; quin argumenta omnia, quæ contra veram fidem adduci possint, non sint insolubilia. Idcirco dicit Apostolus ad Corinthios. (2. *Cor.* 13.) Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Imò quoniam omnia serviunt Deo, (*Ps.* 118.) ratio humana suadere fidem Divinam poterit; quatenus adinvenit media ad confirmationem eorum, quæ revelata sunt: nam si hoc est commune, non solum omni vero, ut ex probabilibus concludatur; sed etiam omni falsitati, ut ex apparentibus suadeatur; quomodo denegabitur hoc illi veritati, quæ obscuritatem habet quò minùs hominibus innotescat? Quia nimirum in se, cùm sit veritas Divina, adeo est lucida superiori intelligenti, & menti illuminatæ, ut dubitari non possit de eius infallibilitate, evidentia & claritate: *Hinc* ait S. Petrus, (1. *Petr.* c. 3. 15.) ut credentes, simus parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in vobis est, spe; sed cum modestia, & timore, (*Id.* 2. 2.) conscientiam habentes bonam

bonam; quia nimirum obſequium noſtrum ad Deum, quod per fidem veram præſtatur, debet eſſe rationabile; & non tanquam brutorum, quoquò ducantur, euntium. Igitur quod humanæ rationi evidenter repugnat, non eſt vera fides. Et ex hoc fundamento, multorum ſuperſtitiones convinci poſſunt, vt de pluralitate Deorum contra Gentes feliciter factum eſt, non modò ab Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus, ſed etiam à melioribus Philoſophis; nam tale fidei fundamentum, Quod ſit vnus DEUS; adeo per ſe primum eſt, vt non revelatione tantum conſtare, ſed Demonſtratione ipsâ oſtendi perhibeatur. Si quando ergo, de fide vera diſputantes, confundantur alicuius ſophiſmate; non id refundendum eſt in fidem, quaſi ſit falſa: ſed in debilitatem Diſputantis; Nam bene periti Dialectici eſt, non modò, quæ vera ſunt ſuſtinere: ſed ea etiam, quæ ſolummodò ſunt opinabilia.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

PROPOSITIO X.

Vera Fides ex Scripturis neceſſariò non deducitur.

QVoniam verò ſupponentes Deum eſſe, neceſſariò cognoſcũt illi eſſe credendum; an propterea neceſſariò colligent

ligent ex ſcripturis, quæ ſint revelata, & credenda? At ſi hoc ſequitur, quare omnes homines, eadem non credunt, & ſapiunt? ſed in ipſis ſcripturis diſcrepant; quæ ſint à DEO, & illarum numerum variant; & alias habent Hebræi, alias Turcæ, alias Chriſtiani, alias Chinenſes, & Ethnici; & inter horum ſingulos non plena conformitas. Quis nobis evidenter oſtendet, quæ ſint à DEO? ſi enim aliqua in Mundo ſcriptura eſt, quæ doceat & evincat eandem fidem, cur indè non omnes convertuntur? & Paulo quidem in Areopago diſputanti, & de varijs ſcripturarum locis varia ad-
Act. 17. ducenti alij quidem credebant, alij autem contradicebant. Non ergo neceſſitatē ex ſcripturis humanus intellectus habet vt veritati aſſentiatur revelatæ. Quis enim te cogit, Philopiſte, ut potiùs Evangelio, quàm Alcorano credas? An non ad omnia liberum arbitrium, quo ſibi diverſæ complacent gentes? Accedit, quod corruptelis, & interpretationibus varijs eadem ſcriptura hominum ingenio ventiletur; ſicut de ſcriptis Ariſtotelicis fit in ſcholis, in quibus, quæ nec ſomniavit Stagirita, Peripatetici reperiunt, dum in contrarias ſententias
2. Petr. eunt. Hoc ipſum ſectarijs evenit, quibus
3. eſt eadem ſcriptura; quare ait S. Petrus
de S.

de S. Pauli ſcriptis: Chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis; ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.

PROPOSITIO XI.

Scripturæ ſunt vtiles ad concludendum pro vera fide.

SEd tamen quarumcunq; ſcripturarū ſuppoſitio, vtilis eſt homini ad argumentandum pro vera fide: Nam & ſic fecerunt antiquitus ex Sybillis Apoſtoli ad Gentium converſionem; & ex talium ſuppoſito fiunt argumenta ad hominem contra falſitatem ſectarum; ut Dionyſius Carthuſianus Alcoranū aſſumit ad ipſum limpidè confutandum. faciliùs eſt enim inde falſam confutare fidem, quam inter plures, unam diſcernere veram, quam oportet tamen in mundo eſſe; ex quo homines de religione ita diſcruciantur. Quòd ſi nulla eſt, gratis inquirimus: ſi una in quanam fundetur ſcripturâ, quis demonſtrabit? ſi Deus? nulli erit difficilè credere; ſi autem homo, cuinam credendum ſit, dubium eſſe poteſt. In-

terea verò ſcimus, quod, Omnis ſcriptu-
2.Tim. ra divinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docen,
c. 3. dum, ad arguendū, ad corripiendum, ad
erudiēdum in juſtitia; ut perfectus ſit ho-
mo DEI ad omne opus bonum inſtructus;
ſed cùm plures velint eſſe Magiſtri, for-
midamus, cùm dicitur, quòd omnis
2.Petr. Prophetia ſcripturæ propriâ interpreta-
1. 20. tione non fit. Non enim voluntate hu-
manâ allata eſt aliquando prophetia; ſed
Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt San-
cti DEI homines. Quis oſtendet igitur
nobis bonam, & inſpiratam ſcripturam?
quis eam genuinè interpretabitur? Quod
ſi per ſe ipſum immediatè DEUS omnibus
& ſingulis inſpirat, & quæ ſit eius ſcri-
ptùra, & quo ſenſu intelligenda, quid
de fide vna tot ſententiæ, quot capita?
An vnus & idem Spiritus, eſt diverſa-
1. Cor. rum, & inter ſe oppoſitarum propoſi-
12. tionum inſpirator? An vnus & idem Spi-
ritus gratiarum impertitor. qui dividit
ſingulis prout vult; in alijs veritatem, in
in alijs errorem dividet, qui veritatis
Spiritus eſt? Hic difficultatum nodus.
Vnus DEUS, vna fides, vna ſcriptura di-
vinitùs inſpirata; reperire autem quæ-
nam ſit, quis oſtendet?

PROPO-

PROPOSITIO XII.

Vera fides Portentis non evincitur.

RVrsùs quoniam ſcriptum eſt. Signa
autem eos, qui crediderint, hæc
ſequentur; in Nomine meo Dæmonia *Marc.*
eijcient: lingvis loquentur novis: ſer- *ult.*
pentes tollent: & ſi mortiferum quid
biberint, non eis nocebit: ſuper ægros
manus imponent, & bene habebunt.
Portentis vera fides neceſſariò evince-
tur? ſed noſtris temporibus quàm rara
ſunt portenta? Narrantur autem non ſo-
lum à Moyſe & Apoſtolis facta, ſed eti-
am à Maleficis Ægyptijs, à Balaam, & *Exod. 7.*
Simone Mago; & in Gentium faſtis *Act. 15.*
ſimilia deſcribuntur. Quin etiam Por- *Num. 23*
tenta coram multitudine vel ab Apoſto- *Act. 8.*
lis facta non omnes commovebant, ut *11.*
Chriſti fidem amplexarentur: non ergo
habent neceſſariò, ut Humanam men-
tem evincant de vera fide, quænam illa
ſit. Modò autem, num, quia tam rara
ſunt in mundo miracula, tam rari erunt
veri Credentes? ſed ſcribitur ad cautio- *Mat.*
nem eorum, qui credere debent, ne à *24. 24.*
recta fide dimoveantur, quòd ſurgent *Marc.*
Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & *13. 12.*
dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut
in errorem inducantur (ſi fieri poteſt)

etiam electi. Idem de Antichristo affirmatur: Ne quis nos seducat ullo modo, cùm venerit homo peccati, & filius perditionis; cuius est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis ijs, qui pereunt. Quis vero discernat vera miracula, quæ sunt à Deo; à prodigijs mendacibus quæ sunt à Satana? si enim ostendat Deus, & huius ostensionis sit homo certus, non patietur difficultatem, vt credat; sed cùm multa fuerint in mundo prodigia, & signa, ut ex scripturis narrantur, & alia quidem vera, & à Deo; alia autem falsa & apparentia, & à Satana; neque discrimen hominum inter multitudinem pateat; oportet, ut multitudini sit aliqua regula ne decipiatur credendo: cùm ergo immediatè Deus, neque se, neque vera prodigia, neq; horum regulam infallibilem ad dignoscenda, quæ vera sint in singulis & omnibus hominum mentibus manifestat (dum vera fides ad salutem hominum est in mundo) necessariò sequitur, quòd Portenta, ex se ut sic, non habeant connexionem evidentem concludendi veritatem fidei.

2 Thess. 2. 9.

PRO-

PROPOSITIO XIII.

Miracula sunt maximum veræ fidei Testimonium.

VErumtamen si prodigia mendacia magnam vim habent ad seducendum, ut de Simone perhibetur, cui auscultabant omnes à minimo usq; ad maximum; propter quod multo tempore magijs suis dementasset eos: Maximam procul dubio vera Miracula vim habebunt ad veram fidem dignoscendam, & confirmandam; præcipuè autem cùm in hunc finem collimant, ut falsa destruantur prodigia, & veritas manifestetur. Quemadmodum Virga Aaron in colubrũ versa coram Pharaone deuoravit virgas in dracones conversas à Maleficis Ægypti. Et Elias oratione prævaluit coram DEO in confusionem Sacerdotum Baal, ut ignis de cælo elapsus holocaustũ madidum integrè devoraret. Et Paulus Bariesum Elimam Magum devicit cæcitate, ne prædicationi resisteret. Quare ait Christus Dñus: Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. Minitans verò incredulis Corozain, & Bethsaidæ ait: si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. ex quo bene deducitur, & vis mi-

Act. 8. *Exod.* 7. 10. 3. *Reg.* 18. 25. *Act.* 13. 8. *Io.* 4. 48. *Matt.* 11: 21.

raculorum ad fidei teſtimonium, & hominum libertas, ne veris prodigijs in aſſenſum cogatur; cùm vel cæcitate ſua, ſemper poſſit in dubium vocare, an ea quæ videt, à DEO ſint, & vera prodigia. Ceſſaret enim eſſe fides, ſi argumento fidei, evidentia concluſionis ex neceſſarijs principijs deduceretur. Quamquam ergo multùm profecerint Apoſtoli

Marc. 14. 20. Act. paſſim

prædicantes ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis; nihilominus, non omnes in Chriſtum crediderunt. Quid igitur Philophiſte cariſſime? An quia nullum vidiſti prodigium, nihil credis? Quomodo ergo dicitur; niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis; ſi, & qui viderunt, alij crediderunt, alij non; & alij credunt, qui nihil viderunt? Recta videlicet fides à ſignis, & prodigijs non pendet, ſed tamen ab his magnum habet robur, ut in Eccleſia fidei ſemen excreſcat. Si enim his prodigijs ſolum rectæ rationis lumen adhibeatur, adijciatur, dices, cum Nicodemo ad Chriſtum: Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit DEUS cum eo: & cum Cæco nato, & illuminato: niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam.

Hæc verba concludebant pro Regulo plene credenti cui dicta ſunt Io. 4. 48.

Io. 3. 2.

Io. 9. 33.

PRO-

PROPOSITIO XIV.

Mores hominum non sunt infallibilis Fidei veræ, vel falsæ, deductio.

TAndem, quia Mores humani principium habent intrinsecum ex homine, fortè inde cognoscetur, ut, si probi sint & honesti, veram arguant fidem; si verò mali, & indecori, falsam convincant? Nam homo secundum quod cognoscit bene, vel malè, videtur moraliter agere; cùm ergo fides ad cognitionem pertineat, ex bona fide, boni erunt Mores, ex malâ autem, mali; ideo ait Christus: Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala, bonos fructus facere. Cùm itaq; naturæ lumine cognoscantur boni mores à malis, indenè colligetur bona, vel mala fides? hoc dici nequit; quia boni vel mali mores spectant ad omnes gentes, in quibus & boni, & mali reperiuntur, & zizania mista cum tritico in singulis ferè populis: Fides autem divina spectat ad supernaturalem ordinem, quo Mores hominũ elevantur per invisibilem gratiã DEI; ex quo cùm nesciat homo vtrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta, eò quòd vniversa æquè eveniant iusto, & impio;

Matt. 7. 18.

Matt. 13.

Eccles. 9.

bono, & malo; mundo, & immundo, ut scribit Ecclesiastes, sequitur quod ex moribus, veritas fidei infallibiliter cognosci non possit, nisi ab intellectu qui penetrat mores hominum provenire à fide divina, tanquam à vivificante illos: quod hominibus non est manifestum: Accedit quòd non semper homo ex cognitione suæ fidei operatur, sed multoties ex alia notitia; & qui peccat, notione voluptatis trahitur, & â concupiscentia
Iacob. 1. 14. sua abstractus & illectus, etiam redarguente conscientia, operatur. Quamob-
Sap. 17. rem qui in vera fide sunt, ex quo peccant, & non in fidem peccant, fidem non abijciunt, sed illam habent informem, quatenus intimè in eorum cordibus divinâ gratia non informãtur ad vitam, nec stare potest cum peccato mor-
Iac. 2. tali, quia fides sine operibus mortua est, ut probat S. Iacobus. Et de vidua quæ negligit munus suum inquit Gentium
2. Tim 5. 8. Apostolus ad Timotheum: Quæ in delicijs est vivens mortua est. si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit (quia non operatur iuxta fidei mandata) & est infideli deterior. Potest ergo cum malis moribus stare veræ fidei professio. sicut stetit bona morũ intelligentia cum malis actibus in Seneca ex S. Augustini

relatu

relatu, & alijs Philoſophis teſte S. Pau- Rom. 1.
lo ad Romanos; & in Phariſæis hypocri- 20.
tis, qui dicebant, & non faciebant. Si- Matt.
cut etiam ex oppoſito actiones moraliter 23.
bonæ ab infidelibus fieri poſſunt, quamquam non perducentes ad præmiũ æternæ vitæ; unde ſcriptum eſt de illis, qui
contenti ſunt legem Naturæ ſervare: Matt.
ſi enim diligitis eos qui vos diligunt, 5. 47.
quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Nonne & Ethnici hoc faciunt? ſimiliter & ſi pro ve- Hebr.
ra fide tenenda, & confirmanda plures 12. 33.
paſſi ſunt plurima: Alij etiam alia paſſi Sap. 11
ſunt pro falſitate, & mendacio. 5.

PROPOSITIO X.

Mali mores obſunt veræ fidei intelligendæ.

SEd tamen mali Mores ad agnitionem veritatis ſunt maximus obex: Perverſæ enim cogitationes ſeparant à Deo; Sap. 1. 3.
quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: Quomodo enim
poſſet ſtare vera lux cum operibus tene- 2. Cor.
brarum? Quæ enim participatio iuſtitiæ 6. 15.
cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infi-

deli? Qui autem consensus templi DEI
Galat. cum Idolis? Manifesta sunt autem opera
5. 19. Carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ prædico vobis (ait Apostolus) sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequētur. Ex his enim pravis operibus passiones animi maximè commoventur, vt non modò Mens conturbetur, & cæcutiat; sed vt aberrantes à via veritatis loquantur falsa, & perversa: Hinc enim multi infideles, & Hæretici non convertuntur ad fidem ele-
Tit. 1. 1. ctorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur DEUS; sed propter culpas, & scelera ad punitionem tradidit illos DEUS
Rom. in reprobum sensum; iuxta quod pro-
1. 28. phetavit Isaias dicens: Audite audientes,
Is. 6. 7. & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere: excæca cor Populi huius; & aures eius aggrava: & oculos eius claude: nè fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo in-
Apoc. telligat, & convertatur, & sanem eum.
22. 11. Qui in sordibus est sordescat adhuc: Quia

cum

cùm vera fides ſit Donum DEI, & fructus diuini Spiritûs & primarius panis, qui cor hominis confirmat; vtique Dona potiùs Amicis, quàm inimicis conceduntur; & panis filijs potiùs, quàm canibus datur; & gratiæ cæleſtis lumen ijs, qui de ſe quantùm poſſunt in corde ſincero impedimentũ non ponunt. Hinc etiam eſt, quod multi exciderunt à recta fide, in qua legem conſiderabant repugnantem operibus carnis; ſicut Ioannes ait, quod ex hoc multi diſcipulorum eius (ſcilicet Chriſti,) abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Spiritus enim S. diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu (ut ſunt opera Carnis) & corripietur à ſuperueniente iniquitate.

Gal. 5. 22.
Pſ. 103. 16.
Matt. 15. 26.
Io. 6. 67.
Sap. 1. 5.

PROPOSITIO XVI.

Quomodo recta fides amittatur.

OMnia igitur opera mala Humanum intellectum obſcurant, ſed peccata mortalia diuinam gratiam ab homine excludunt, ne ſanctam viuificet Fidem; ſed ſi huius generis crimen eſt, ut maliciosè neget aut aliquem, aut omnes articulos Fidei, iam fidem totaliter perdit. Qui enim offendit in uno factus eſt omnium reus. Nam quæ ſunt diuinæ Fidei, ſi propriæ voluntati, & intelligen-

Iac. 2. 10.

tiæ

tiæ ſubijciantur vt alia eligantur, alia reprobentur, iam non ſunt fidei, ſed Opinionis. Iniuria autem fit maxima Deo, vt omnium à ſe revelatorum vel unus excludatur articulus non credendus; inde enim in hoc mendacij imputatur; quare ergo & non in alijs? ſi enim mentiri potuit in hoc uno, quod v. g. eſt à Deo revelatum & ſic malitiosè iudicatur ab homine; profectò homo ſibi principium ſtatuit totius authoritatis fidei deſtructivum, ut fidem totam amittat. Ideoque fides divina in homine aut integra eſt, aut nulla: Qui enim in-
Oſe. 2. 20. fundit ipſam Deus, ut animam ſponſet in fide, in vaſa malitiæ non infundit: quare dicit Sapientia Cap. 12. O quàm bonus, & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus! ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant admones, & alloqueris: vt relicta malitia credant in Te Domine. Si igitur ex malitia non credunt vel vni eius revelationi, in Deum non credunt revelantem, & ſic ex diametro fidei ſe opponunt; quamobrem non minùs eſt infidelitatis reus Hæreticus, quàm Ethnicus & Idololatra. Solùm hoc diſcriminis; quòd Eccleſia Chriſti ius habet in Hæreticos, qui per verum Baptiſma in ipſam ingreſſi ſunt; In Ethnicos verò, & Paga-
nos

nos non: quia (ut dicit Apostolus) Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare? 1. Cor. Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. 22 5. De ijs verò qui vel uno crimine à fide deciderant, idem sic iudicat ad Timotheum 1. Tim. scribens. O Timothee, Depositum custo- 6. 20. di; devita profanas uocum novitates, & oppositionis falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exci- 2. Tim. derunt. Et rursus: Profana autem, & va- 2. niloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem; & sermo eorum vt cancer serpit, ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes, resurrectionem esse iam factam. Error autem in fide sine malitia, secundum interiorem hominem, fidem non destruit; quia Deus cognovit figmentũ Ps. 102 nostrum; neque est peccatum nisi vo- 14. luntarium. Sed in hoc consistit malitia Fidei totaliter destructiva, ut vnico veræ fidei medio nolit homo assentiri, cui debeat inhærere, tanquam sibi à prima veritate proposito, ut rectè credat; de quo alibi.

PROPOSITIO XVII.

Bona opera ad bene credendum conducunt.

SI igitur qui errant corde, non co-

gnoverunt vias Domini, Beatitudo Cre-
Ps.9.4. dentium erit, qui in mandatis eius cu-
Ps.1. pientes nimis, quantùm ex se est benè
curant vivere; Nam conscientiæ bonæ
interrogatio in DEUM conciliat gratiam,
Io.1.9. vt divina lux in tenebris luceat, & illu-
Matt. minet omnem hominem. Inde enim
2. Primitiæ Gentium stella duce ductæ sunt
ad Dominicas cunas: & Cornelius Cen-
Act.10. turio religiosus, ac timens DEUM cum
omni Domo sua, faciens eleemosynas
multas plebi, & deprecans DEUM semper
per Angeli monitũ, Petri Apostoli fidem
professus est. Quia videlicet datur lu-
men de lumine, & itur de virtute in virtu-
tem, vt videatur DEUS in Sion. Sicut
enim impossibile est (moraliter, & com-
Heb:6. muniter loquendo) eos, qui sunt illu-
4. minati, gustaverunt etiam donum cæ-
leste, & participes facti sunt Spiritûs
Sancti, & prolapsi sunt, rursus revocari
ad pœnitentiam: ita impossibile est, qui
de corde puro faciunt quod sciunt, &
possunt; & propter spem vitæ æternæ
custodiunt se ab omni malo, quantùm
possunt; vt non illuminentur ad rectam
fidem, quæ est substantia, & fundamen-
Ps.144. tum salutis. Quia fidelis est DEUS in o-
14. mnibus operibus suis; & miserationes
eius super omnia opera eius, ut non per-
Rom.5. mittat perire clamantes ad se, & ex toto
corde

corde quærentes illum. Quid igitur Philopiste? num excæcabimur vltrò in malitia nostra vt pereamus? Arguet te malitia tua. Gratia enim DEI, & miseri- cordia non deest, sed is deest, qui eam non excipit. Quomodo autem id fiat, ne quære. Domini est terra, & plenitudo eius? An, quia nescis gratiæ mysteria, nescis quid tibi sit agendum, vt benè agas? Tua est in te conscientia testis, tui est testis in cælo fidelis, qui hominum corda scrutatur, vt judicet orbem terrarum in æquitate. Noli igitur facere mala, & non te apprehendent; sed crede DEO, & recuperabit te: & dirige viam tuam & spera in illum, serva timorem illius, & in illo vererasce. Nam; qui confidunt in illo intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi.

Ier. 2. 19. *Ps. 3.* *Ps. 88.* *Eccli. 7. 1* *Id. 2. 6.* *Sap. 3. 9.*

PROPOSITIO XVIII.

Fides demùm etiam corde & ore est profitenda.

FIdes demùm non modo operis, sed cordis & oris testimoniū habet: corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Si enim opere tantùm ad regnum DEI est accessus; quia iniqui regnum DEI non possidebunt; quid ampliùs fides inquiritur? Si fide

Rom. 10. 10. *1. Cor. 6. 9.*

tantùm

tantùm, quid additur ad Corinthios:
Ibid: Nolite errare, neq; fornicarij, neq; do-
lis servientes, neq; adulteri, neq; molles,
neq; masculorum concubitores, neq; fu-
res, neq; avari, neq; ebriosi, neq; male-
dici, neq; rapaces, regnum DEI posside-
bunt? An qui stulta salutis æternæ fidu-
cia hæc agunt, præmium consequentur?
quibus omniũ æstimatione pœna debe-
Marc. tur? Ergò fides tua te salvum facit, si fi-
10.52. des tua recta est, vt credas, quòd, qui
Matth: malè agunt & impœnitentes decedunt,
25.41. ibunt in supplicium æternum; vt sic cre-
dens non malè agas. Si autem sic fidem
opere tenes, ne verearis & ore profiteri
coram hominibus; Nam Veritas fidei
Matth: dicit: Qui confitebitur me coram homi-
10.32. nibus, confitebor & ego eum coram Pa-
tre meo, qui in cœlis est: qui autem ne-
gaverit me coram hominibus, negabo
& ego eum coram Patre meo, qui in cœ-
lis est. Vnde enim te discernam, nisi lo-
quaris? loquere igitur ut te nôrim, fide-
lisné, an infidelis sis. Si enim vereri
fidem, quam corde tenes, quid eam cor-
de retines, ut damneris hypocrisis? Si
autem conscientia dictat, ut vivas, ne
corde desipias, fidem corde non retinen-
Rom. 1. do, quia justus ex fide vivit; ne timeas
16. quod corde tenes, ore fateri, & opere
bono complere: quia qui possunt corpo-

occide-

occidere veris credentibus ad immorta- *Matth.*
lem vitam referant aditum. 10. 28.

CONCLVSIO.

IGitur conditionis humanæ eſt, plura credere: (*prop.* 1.) homini credere neceſſarium, ſed periculoſum. DEO credere ſecurum. (*p.* 2.) Sed medium credendi inevidens, (*p.* 3.) licentia aſſerendi pervicax. (*p.* 4.) Cùm verò divina fides elevet ſupra ſe hominem ad ſpẽ DEI obtinendi, (*p.* 5.) non modò ad tantum finem neceſſaria erit; ſed opus erit à DEO eſſe donum, (*p.* 6.) Nam quis DEUM invitum videndum obtineat? Erit igitur donum DEI, vt vera fides ſit in mundo, & pariter vt fideles ex corde præſtent aſſenſum; (*p.* 7.) quia neq; humana ratio (*p.* 8.) neq; Scripturæ vllæ (*p.* 10.) neq; vlla portenta. (*p.* 12.) neq; mores hominum humanam mentem inclinare poſſunt, vt fidei aſſenſum extorqueant. (*p.* 14.) Ratio ſuadere poteſt, (*p.* 9.) Scripturis ſuppoſitis, & conceſſis magis urgere. (*p.* 11.) Sed nulla inde coactio prodigiorum veritas vehemẽ- *Luc.* 11.
tiùs pro fide militat recta; ſed illa pari- 16.
ter fide creduntur: (*p.* 13.) Illorum *Matt.*
raritas incredulos auget, quia multi pe- 12. 38.
tunt ſigna videre, vt credant. Et tamen appellantur Beati, qui non viderunt, &

crediderunt. Morum perversitas indurat: (*p.15*) & fidelium lumen extinguit (*p.16.*) Quid igitur facies Philopiste? Ne confundaris benè agere; Sæpé teipsum interroga, ne sis mali operis corã DEO conscius; jacta te in ipsum, vt videas; culpas dolore cordis elimina, & si te tui cura premit, ne in æternùm pereas; quære fidem rectam, vt teneas; Elige meliora, ut compleas; Et quod tenes, & eligis, si melius est, rectum est; si rectum est, corde iustifica, opere vivifica, ore
Rom. magnifica; nam & hoc donum Dei est,
12.3. ne plùs sapias, quàm oporteat sapere, sed
Ps. 50. humiliter credas, vt justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.

ARGVMENTVM II.
De veræ fidei existentia.

PROPOSITIO I.
Vera fides vna est, eaq; optima.

Ephes. SI vera fides in mundo est, Dei veri-
4.5. tas est; Veritas vna est; ergò vna Fi-
Iob. 33. des est; hinc ait Eliu ad Iob: Semel lo-
14. quitur Deus, & secundò idipsum non repetit; Quod concordat cum Regio Vate
Ps. 61.12. dicente: Semel locutus est Deus. quia nimirùm retractare non debet, nec po-
Io. 3.33. test, quæ loquitur, cùm sit Deus verax, &

Deus veritatis. Neq; datur medium inter verum, & falſum; aut ergò fides falſa, aut vera eſt; vna igitur vera eſt. Cùm igitur propter multiplicia objecta credibilia à veris deſciſcere multipliciter poſſit contingere; vnde ſunt Paganiſmus, Iudaiſmus, Mahomettaniſmus, Atheiſmus, & Hæreſes, ſi vera fides in mundo eſt, ab omni erit errore immunis; aliter vna non eſt; nam falſum, & verum in vnum non congruunt, neq; ad vnum finem conducunt. Rurſùs vera fides in vnum Deum rectâ homines perducit; ſed vnum eſt rectum, obliqvum multiplex, vt deducitur ex *Matheſi*; ergò fidei ſemita recta ad Deum rectum perducens vna eſt, & non multiplex. Quòd igitur inter tot hominum ſectas detur melior & pejor fides, ex hoc erit, quia magis, & minùs ad veram fidem accedent; non enim eſt vlla ſuperſtitio, aut hæreſis, quæ aliquod verum non dicat; ſed ex quo non proponũt credenda omnia vera, ſed aliquod plus, aut minus falſum habent Sectarij, ideò ſecundùm hominum intelligentiam datur melior, & peior fides, ſive credulitas; quæ ergò cum omnibus comparata ſine vlla macula eſt, non modò melior, ſed optima erit, & alia quælibet mala; & omnium peſſima, quæ nullam habet veritatem,

Pſ.30.6.

Iſ. 26.9.

vt Atheiſmus. Vera igitur fides & vna eſt, eaq; bona, melior & optima eſt: cæteræ omnes malæ, inter quas eſt pejus & peſſimum modo explicato: quia bonum ex integra cauſa; malum verò ex quocunq; defectu. Hinc ſequitur pro fide quicquid pro veritate aſſeritur; vt ſit invariabilis, ſempiterna, & hujuſmodi; pro cujus rei gratia in Epiſtola Catholica ſcribit Iudas deprecans fideles ſupercertari ſemel traditæ Sanctis fidei. *Iud.Ep. v.3.*

PROPOSITIO II.

Vera fides fide creditur in mundo eſſe.

NVlla ſcientia aut diſciplina demonſtrat ſui objecti exiſtentiam, ſed præſupponit, aut in ſuperiore doctrina demonſtratum, aut communi ſibi conceſſum æſtimatione: ſic Philoſophia ens eſſe, aut corpus non demonſtrat; nec Mathematica quantitatem, nec numerũ Arithmetica, & id genus alia. Quid ergò mirum niſi oſtendatur veræ fidei exiſtentia, ſed fide ipſa credenda proponatur? Propterea ad Hebræos ſcribitur: *Hebr.11.2. & v.6.* Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inviſibilibus viſibilia fierent: paulò poſt: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit. Si igitur Demonſtratione fidei exiſtenti

convin-

convincitur, jam fides non est, sed scientia; Commune est autem scientijs, vt earum existentiam seipsis insinuēt; quantò magis hoc eveniet fidei, vt esse seipsa credatur, cùm donetur à Deo? Demonstratio autem est habitus acquisitus, ergò fidei existētia demōstratione non datur; ergò fides fide creditur esse. Quare qui Deū credit esse, Deo etiam credit dicenti: Ego sum, qui sum. *Exod.3.14.* Hanc propositionem non attigit Raymūdus Lullius, quanquā Demonstratione quâdam conetur veræ fidei Articulos enucleare. sed ait ad Corinthios Apostolus: Vos metipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. *2.Cor.13*

PROPOSITIO III.

Veræ fidei existentia ratione suadetur.

SEd tamen veræ fidei existentia in mūdo, sic fortè suadetur. Nam multæ sectæ sunt in mundo diversa & contraria inter se credentes; ergò in ipsis sicut falsum, ita ex opposito verum esse, necesse est. Omnium enim credibilium obiectorum dantur contradictoriæ, quarū una est vera, altera falsa. Electione igitur verarum veræ fidei existentia probabitur. Sed hoc pro existentia veritatis concludit, non pro existentia fidei, quæ in sui ratione formali habet, vt sit à Deo revelata. Itaq; melius supponendo vni-

versaliora fidei, in quibus ferè omnes
conveniant, veræ fidei existentia suade-
Deut. 4. tur. *Primo* ergò supponitur Dei existen-
35. tia vnius, cum omni attributorum ejus
perfectione. Hoc est Gentium ubiq; com-
munissimum, & Philosophantium ratio-
cinio demonstratum. *Secundo.* Quòd A-
Sap. 3. nima hominum sit Spiritus immortalis.
Hoc etiam est valdè populis commune,
& à melioribūs Philosophis comproba-
tum, vt videre est apud Marsilium Fici-
nium de Immortalitate Animorum; &
apud alios Platonicos. *Tertiò.* Quòd ho-
Iob. 4. minis opera alia sint mala, & digna sup-
plicio; alia bona, & præmio digna.
Hoc etiam omnium ferè sensu facilè ad-
mittitur, cùm omnes nationes mundi
de Iustitiæ titulis glorientur. Et hæc tria
per fidem Paulus requirit esse in illo, qui
Hebr. ad Deum accedere cogitat, vt inde ad
11. 6. plura extendatur; atq; proficiat. Nunc
ita: Si Deus est, & omnia propter se
Is. 41. 4. sunt; ergo immortalis anima hominis
propter ipsum est. Sed in homine nullæ
Iob. 9. sunt ex se vires ad se elevandū, & dirigē-
dū in Deū; ergò oportet vt Deus, qui ad
Iob. 38. se illum ordinat, tradat medium, quo
sublevetur infirmitas hominis. Hoc au-
tem medium est fides, ergò ex præsuppo-
sitis dari fides divina deducitur. Iterùm
quia Deus justus est; hominum autem

alij

alij malè vivunt, alij benè; & tamen *Iob.* 9.
contingit sæpè in hoc mundo malè agẽ-
tes non puniri, sed frui bonis vitæ; è
contrà, benè agentes non præmijs com-
pensari, sed potiùs non rarò opprimi;
quod est pessimum inter omnia, quæ *Eccl.* 9.3.
sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveni-
unt; ergò reservatur à Deo in altera vi-
ta justa operum compensatio. Præterea
est appetitus in homine ad Religionem,
& bonum; qui cùm non inveniat satie-
tatem in omnibus, quæ sunt in mundo;
Non enim satiatur oculus visu, nec au- *Eccl.* 1.
ris auditu impletur; sic de alijs poten- 8.
tijs eius; ergo bono excellenti, & super
hæc visibilia excedente satiari cum eo
petit; qui agit: Satiabor cùm apparuè- *Ps.* 16.
rit gloria tua. Ex quibus, similibusq; mo- 15.
tivis Plato animabus sidera concedebat,
iuxta exigentiam meritorum; sicut dete-
riora loca ijs, qui iniqua gessissent. Py-
thagoras verò commigratione animarũ
in diversas corporum species totam præ-
mij & pœnæ retributionem docebat.
Itaq; manifestè apparet, quòd nulla est
sufficiens ratio ad suadendam nolenti-
bus veræ fidei existentiam; quamobrem
Spiritûs S. Tubicen Romanos docebat,
dicens: Infirmum in fide assumite, non *Rom.* 14
in disceptationibus cogitationum. Qua-
si diceret; quia debiles in fide Christi,

mundi ſapientiâ facilè confundi poſſunt: Sed ſi ſint fortes in fide diſceptationibus non moventur; ſed potiùs mundi ſapientiã confundunt: Scriptũ eſt enim:
1.Cor.1. Perdam ſapientiam ſapientium, & pru-
19. dentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus Sapientiam huius mundi?

PROPOSITIO IV.

Signa veræ Religionis probant exiſtentiam, veræ ſidei.

SVppõſitâ veræ fidei exiſtentiâ, ſicut plurimarum rerum exiſtentia per illarum proprietates, & effectus demonſtratur; Ita vera fides exiſtere in mundo per verum Religionis cultum oſtenditur. Cùm enim Religio definiatur virtus, per quam homo debitum Deo cultum & reverentiam exhibet; patet veræ fidei eſſe principalem effectum; unde ſi Religio vera eſt, fidei etiam veritatem probat, à qua derivatur. Cultus autem Religionis, quo Deus colitur, non modò cordis eſt, & intrinſecus; ſed etiam extrinſecus; vtroq; enim modo debet honorari Deus, cui omnia debentur.
Pſ. 83. Quapropter cecinit Pſaltes. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum; & præcipimur diligere Deum, non

non modò ex corde, & anima, sed etiam *Matt.*
ex viribus, sacrificijs, & propria substã- 22. 37.
tia. Quãquam ergò per cultum cordis, *Prov.* 3.
sola cuiusq; conscientia arbitrari possit, 9.
an veram profiteatur Religionem, tamen ex cultu extrinseco benè argumentamur de vera fide, si Religio eiusmodi tales habeat conditiones, quæ præferẽdæ sint omnium cultui, quem cæteræ gentes profitentur. Si enim Religio melior est, ex meliore dimanat principio; ergò ex meliore fide; ergò ex vera fide. Signa autem Religionis veræ hæc esse videntur, quæ David explicat dicens:
Lex Domini immaculata convertens *Ps.* 18. 8.
animas: testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis. Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda; præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi: Iudicia Domini vera justificata in semetipsa.

PROPOSITIO V.

In Religione veræ fidei debet esse lex.

PRimum itaq; signum veræ Religionis est, vt in ea lex reperiatur, & omnia quæ spectant ad legem; sc. legislator, populus & custos legis, qui invigilet multitudini, nè lex pessumdetur. Nam cùm lex sit regula morum, qui sine lege

 pecca-

Rom.2. peccabunt, ſine lege & peribunt. At
12. quis unquam fuit ſine lege, cùm Gentes legem non habentes ipſi ſibi fuerint lex?
Pſ.4.7. Nam ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs Domini, vt ex Syndereſi quiſq; naturæ legem obſervet, ſed hoc in natura depravata pro multitudine non ſufficit; ſed tutior eſt lex ſcripta, & longo temporum experimento comprobata, ergò ea Religio eſt melior, in qua datur lex ſcripta. Quod ſi lex; quare non legislator? quare non populus legem excipiens? quare non cuſtos legis? ſine hoc enim, lex periculo ſubeſt corruptelæ; ſine illis autem nunquam ſubſiſtit. Ac ideò Primus fidei Magiſter inquit: No-
Matt.5. lite putare, quoniam veni ſolvere legem
17. aut Prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere. Et Vas electionis habet. Legem ergò deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus. Suadebat enim in Spiritu libertatis gratiæ, & novâ lege Evangelij ceſſaſſe legem ſervitutis veterem, tanquam figuram, & umbram, Chriſti præſentia evacuatam.

PROPOSITIO VI.

Lex in vera Religione debet eſſe immaculata.

SEcundum, quòd lex veræ fidei, & Religionis ſit immaculata: ſi. n. lex

eſt

eſt regula morum, quid conferat ad bonos, & Sanctos mores turpitudo legis? ideoq; Sponſa Dei Eccleſia tota dicitur pulchra, & ſine macula; quia in omni ſapientia diſpoſitio legis; quâ igitur ſapientiâ lex diſponeretur, niſi eſſet immaculata? Quomodo eſſet à Deo, qui lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ? Quomodo dicerentur beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini; ſi lex immaculata non eſſet? Quomodo Religio munda & immaculata apud Deum, cuius lex immaculatum hominem non cuſtodit ab hoc ſæculo nequam? in vera igitur Religione lex debet eſſe immaculata.

Cant. 4. 7. *Eccli. 19. 18.* *Io. ep. 1. 1. 5.* *Pſ. 1. 18.* *Iacob. 1. 27.*

PROPOSITIO VII.

Conuerſio Animarum ad Deum debet fieri in vera Religione.

TErtiò, vera fides, & Religio de ſe animas hominum ad Deum conuertit. Alioquin enim fruſtraretur de proprio fine, propter quem Deus dat fidem in mundo Deus autem nihil agit fruſtra. Ergò legitimæ fidei Religio debet auertere homines à Diabolo, Mundo, & Carne, & conuertere ad Deum, in Spiritu & Veritate. Ideò Præcurſor Domini, ſicut & Chriſtus ante omnia pœnitentiam ſuadebant. Dicente etiam per

Matt. 3. *Mar. 1. 15.*

Iöélem

Ioel. 2. Iòélem Domino: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jeiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra: Fidelis Anima respondet per Ieremiam gemitum: Sana me Domine, & sanabor; salvum me fac, & salvus ero. Et in hunc finem in Ecclesia Christi sunt quædam Sacramenta ad culpas expiandas. Si igitur in aliqua Religione non esset efficacia convertendi à vijs malis in viam rectam, eius fides non esset bona. Vbi pro hoc effectu notabis, quòd duo requiruntur à Deo, & duo ab homine. A Deo requiritur *primo*. Vt volés homines converti in Ecclesia, det gratiam gratis datam Vocationis, & hoc facit per verbi Præcones, de quibus asseritur, quòd: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *secundo*: Vt etiam per gratiam gratum facientem interiùs moveat mentem humanam ad assensum suæ vocationis; idcircò ait Paulus Apostolus ad Rom: Quos vocavit: hos & justificavit; quia. s. non frustra vocat, quantùm est de se; sed vocat, vt respondeas, & respondentem justificet. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Ab homine *primo* requiritur ut audiat vocantem; vndè sæpè dicitur: Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesijs.

Ier. 17.

Ps. 18.

Rom. c. 8. 30.

Apoc. 2.

Hinc

Hinc non poteſt eſſe bona illa Religio, quæ omninò excludit auditum verbi; quia obſtat primo ſalutis principio, & modum excludit humanum, non admittendo diſcurſum. *ſecundo*: Vt homo divinâ gratiâ interiùs invitatus à Deo, vt convertatur, ſeipſum præbeat, & ſuâ libertate conſentiat, qvantùm eſt ex ſe, non curiosè perſcrutando, quomodò hoc fiat; ſed ita faciendo, quo ſolet fieri modo, vt benè fiat. Qui enim ambulat ſimpliciter, ſalvus erit; qui perverſis graditur vijs concidet ſemel. Hinc multi etiam in bona fide, & Religione viventes pereunt, quia peccatis alijs ab infidelitate faſcinantur, & ex corde non convertuntur ad Deum vocantem; ſed contradicunt ſermonibus Iuſti, & iuxta lumen, quod eis datur, non vivunt. Imò & Infidelium plurimi non propter infidelitatis peccatum, ſed propter alia delicta, quibus meriti ſunt derelinqui in tenebris errorum, condemnabuntur; propterea Vniverſale Iudicium circa opera bona & mala præcipuè inſtituendum deſcribitur. *Prov. 28.18.* *Matt. 25* *Luc. 13.*

PROPOSITIO VIII.

Teſtimonium veræ fidei & Religionis debet eſſe omni exceptione majus.

QVartò, ſi fides divina eſt, teſtimonium

um exigit omni exceptione majus, nam testibus exceptionem patientibus à jure non creditur in humanis; quantò minùs in divinis? Ergò vt quis credat divina, debet habere testes fidei, omni exceptione maiores; aliter non erit bona fides, aut Religio. Hoc autem in humanis attenditur, vt testes omni exceptione maiores dicantur, qui mentiri non soleant, cuiusmodi sunt viri sapientes, Deum timentes, vel Reges, & Personæ aliquâ dignitate conspicuæ, quibus pudori esset mendacium. Sed tamen quia
Rom.3. mentiri possunt; omnis enim homo mē-
4. dax; propterea in causis gravioribus vt testimonium eorum sit omni exceptione dignum, examinantur, & etiam torquentur, vt quæ dicunt, & testificantur, probent certis signis, & conditionibus, quibus veritas infallibiliter evincatur, quantùm fas est hominibus, sicut
Dan.13. factum legimus in judicio Danielis de Susanna adversus senes. In divinis verò testimonium debet esse maius, vt non modò testes mentiri nonsoleant, sed neq; possint mentiri. Et idiò primus fidei testis est Deus, qui mentiri non po-
Num.23. test: Non enim est Deus, (dicit Scri-
19. ptura) quasi homo, vt mentiatur. Et
1.Io.5.7. de hoc habetur. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbm,

Verbum, & Spiritus Sanctus. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. At quia Deũ nemo vidit unquam in hoc mũdo; Cùm Deus se revelavit hominibus, dedit signa sui testimonij certissima, vt sibi crederent. Et hoc dupliciter; vel enim revelatio fit pro bono vnius electi sine respectu ad multitudinem; & tunc pro testimonio veritatis sufficit exterior Dei vocatio, interior gratiæ operatio, & conscientiæ testimonium. Hoc modo credidit Abraham Deo, & signum circumcisionis accepit propagandum in filijs, in signum fœderis, quòd ex eius stirpe nasciturus erat Messias; Hoc modo pariter Isaac, & Iacob crediderunt, quòd fierent in gentem magnam; & omnes gentes in semine illorum, id est in Christo, essent benedicendæ; & quamquam alia non haberent suæ fidei signa, quàm supradicta, non miracula, non scripturas; neq; suo tempore promissionum fidelem effectum viderint; tamen crediderunt, Testimonium illis perhibente conscientiâ in Spiritu Sancto. Vel secundò revelatio à Deo fit in bonum multitudinis; Et tunc præter signa prædicta singulos concernentia, debent esse signa pro multitudine, in qua si aliqui ex singulis pereant propter propriam malitiam, populus tamen

Ib.4.12.

Gen.12.

Ib. 17.

Gen.26.

men ſervetur. Secreta verò revelatio Dei in ſingulos ſola nō ſufficit pro Republica, in qua ſenſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua; Vnuſquiſq; pro ſuo libito loqueretur, nec diſtingueretur Propheta verax à Propheta mendace, nec populus veræ Religionis ab alijs. Tum etiam quia Deo placuit, non modò à ſingulis privatim honorari, ſed etiam publicè à populo. Et ideò cum prædictis ſignis vt in multitudine eſſet teſtimonium veræ fidei, & Religionis, alia dantur ſigna, quæ coniunctim omnia probationem veræ fidei faciunt, plùs quàm in humanis iudicijs artificium Iuris, & plùs quàm in demonſtrationibus methodus, maiorem omni exceptione. Hæc autem ſigna non dantur ſingulis omnia, quia ſingulis non ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſed dantur Præordinatis à Deo, quia ſunt neceſſaria pro multitudine Eccleſiæ & dicuntur gratiæ gratis datæ, de quibus ait Apoſtolus ad Corinthios. Vnicuiq; autem datur manifeſtatio Spiritûs ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritū datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu (id eſt ſupereminens certitudo fidei ad docendū alios fidei myſteria) alij gratia ſanitatū,

Gen.8. 21. *Act.10. 41.* *1.Cor.12. 7.*

in vno

in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij intepretatio ſermonum: Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult. Et ex his ſumitur divinæ fidei teſtimonium omni exceptione maius, vt Eccleſia illa ſit in vera fide, in qua talia omnia inveniuntur.

PROPOSITIO IX.

Fidelitas teſtium in vera Eccleſia legitimus adminiculis roboratur.

IGitur ex ſupradictis patet, quòd totũ teſtimonium veræ fidei in Eccleſia eſt ab vno Dei Spiritu in ipſam; Diviſiones 1.Cor.12 verò gratiarum ſunt, idem autẽ Spiritus, 4. & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autẽ Dominus; & diviſiones operationũ ſunt, idẽ autẽ DEUS, qui operatur omnia in omnibus. Ideò in Symbolo fidei dicitur: Credo in Spiritum Sanctum; mox immediatè Sanctam Eccleſiam Catholicam. Quia illa eſt Catholica, Vniverſalis & Orthodoxa Eccleſia, in qua Deus per Spiritum ſuum dat teſtimonium fidei revelatæ, non modò per ſecreta gratiæ, ſed etiam per manifeſta, non omni Act.10. populo, ſed teſtibus à Deo præordinatis. 41. Et primò quidem teſtes homines à Spiritu præordinantur in populum per abun- Act. 2. dantem divinorum cognitionem, vt poſ-

ſint alios inſtruere in ſana doctrina, &
eis qui contradicunt, reſiſtere; & ideò
Act. 13. ab eodem Spiritu infunditur in illorum
45. corda fides, ſcientia, & ſapientia. Sed
Ioel. 2. quoniam mundana ſapientia coram rudi
multitudine, illudere poterat verbis,
Rom. 8. Dei ſapientiæ; ſicut Iobi amici facie-
5 bant: Non enim eſt tam ſapiens dictũ,
Id. 15. 18. cui dari non poſſit ſtulta contradictio;
propterea in confirmationem doctrinæ
datur gratia miraculorum; vt ſunt: gra-
Matt. 10. tia ſanitatum, in beneficium humani
corporis; operatio virtutum, in ſolam
divinæ Poteſtatis manifeſtationem, vt
dividere mare, ſolem ſiſtere, &c. Pro-
phetia, & diſcretio Spirituum, in ma-
nifeſtationem eorum, quæ à ſolo Deo
ſciri poſſunt, vt futura contingentia, &
cordium cogitationes. Tandem quia ve-
ra fides dabatur ad totum mundum, ideò
præordinatis teſtibus neceſſaria fuit Idi-
omatum intellectio; & propter hæc,
Act. 2. data ſunt illis genera linguarum, & ad
ſenſum explicandum eorum, quæ dice-
rent, vel audirent. Poteſtas interpre-
Luc. 24. tandi ſermonem. Qvando igitur in mũ-
45. do facta eſt veræ fidei & Religionis ma-
nifeſtatio, debuerunt hæc contigiſſe,
alioquin teſtimonium Domini non fu-
Exod. 14. iſſet ſine exceptione; Propterea Moyſes
per divina portenta Pharaonem devicit,
vt

vt ex Ægypto Populum Iſràél educeret per deſertum; & alijs item prodigijs legem Populo tulit, Sacerdotiū inſtituit. *Id.* 34. *Lev.* 10.
Cæremonialia præſcripſit, & quicquid in Pentateuco literis conſignavit, vera eſſe talibus teſtimonijs roboravit; quod niſi talia feciſſet, quomodo potuiſſet populus credere? Similiter Chriſtus ſucceſſivè poſt Prophetas in propria veniēs *Io.* 1.11.
Deus & homo, vt confirmaret, quod eſſet, per ſe, & per ſuos Apoſtolos, Doctrinam ſuam miraculis comprobavit; *Id.* 20.
aliter, quomodò Populus crediditſſet? 30.
Mahomet autem cum nullis advenerit miraculis, carne & ſanguine propagavit ſuam ſectam (quod non eſt difficilè) Nam ſtultorum infinitus eſt numerus. *Eccl.* 1.
His enarratis. An quod eſt ſemel verum, 13.
non eſt ſemper verum? Si igitur vera Eccleſia aliquandò fuit, nunc ampliùs non erit? An potiùs ſicut fuit, eſt, & eodem regitur Spiritu? Num homines in mundo non ſunt, ſicut priùs? Vel quod ſemel fit, debeat ſemper fieri? An potiùs ſecundùm tempora variatur Eccleſia? Vel in ea Spiritus non poteſt nova manifeſtare? Quid habent nunc homines, quòd ab ijs excludamus operationem Spiritûs eiuſdem, qui fundat Eccleſiam? Variatur igitur Eccleſia ſecundùm ſtatum temporalem; ſed putaretur vari-

ari ſecundùm legitima ſempiterna à teſtificante Spiritu, tradita ſunt adminicula veritatis, cuiuſmodi ſunt Traditio, vtriuſq; Teſtamenti Biblia, Scripturæ communes Conciliorum, Doctorum, Hiſtoriarum, &c.

PROPOSITIO X.

Adminicula Fidei robur habent à vera Eccleſia.

SIcut in Iure humano plùs valet Regula viva, quàm mortua; maior adhibetur fides teſtatori, quàm teſtamento ſcripto, vnde vivens teſtator ipſum meliùs interpretatur qui condidit, quàm quicunq; alius, qui illud legat: & in dubijs quæſtionibus ſtatur potiùs Iudicis deciſioni authoritativè ſecundùm leges iudicantis; quàm Doctorum diſcrepantijs, qui non habent authoritatem Iudicij deciſivi, ſed ſolùm doctrinæ conſultivæ, & in his pariter plùs valet authoritas vivorum, quàm mortuorum. Vni potiùs gentes obediunt Imperatori, Regi, aut Principi viventi, quàm mille iam mortuis, etiamſi ſciant à mortuis fuiſſe aliter ordinatum. Sic itaq; in iure divino fidei occurrit, in quo homines debent magis credere Eccleſiæ viventi, quæ vivificatur à Spiritu Dei, quàm mortuis, qui nullam habeant vivifica-

vificationem ab eodem Spiritu. Vnde
Iòël: Effundam Spiritum meum ſuper *Ioel. 2.*
omnem carnem; & prophetabunt filij 28.
veſtri, & filiæ veſtræ. Et ad Corinthi- *2.Cor.*
os: Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta in *c.3. 2.*
cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur
ab omnibus hominibus: manifeſtati,
quòd epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à
nobis, & ſcripta non atramento, ſed
Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapide-
is, ſed in tabulis cordis carnalibus. Et
alibi: Neſcitis quia templum Dei eſtis, *1.Cor.3.*
& Spiritus Dei habitat in vobis? An ne- 16.
ſcitis quoniam membra veſtra templum *Ib.6.19.*
ſunt Spiritûs Sancti, qui in vobis eſt,
quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?
Vos enim eſtis templum Dei viventis, *2.Cor.6.*
ſicut dicit Dominus; quoniam inhabita- 16.
bo in illis, & inambulabo inter eos, & *Lev.26.*
ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi po-
pulus. Et ad Hebræos ex Ieremia: Poſt *Hebr.8.*
dies illos dicit Dominus; dabo leges me- 10.
as in mentem eorum, & in corde eorum *Ier.31.*
ſuperſcribam eas. Deus itaq; qui non in *Act.17.*
manufactis templis habitat (per gratiã 24.
ſcilicet ſanctificantem) ſed in cordibus
mentibuſué fidelium, habitabit in rebus
mortuis, & verbo exanimi, cuiuſmodi
ſũt ſcripturæ libris conſignatæ? Si enim *Hebr.4.*
vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & pene- 12.
trabilior omni gladio ancipiti; & per-

tingens vſq; ad diviſiónem animæ ac ſpi-
ritûs; quomodò in Biblia chartis conſcri-
pta in pluteis detenta, typo inanimi no-
biſq; ad placitum ſignificantibus impreſ-
ſa, vitam in ſe habent, & efficaciam ſpi-
ritûs, niſi vivificentur à Spiritu? Et ſi à
Spiritu tuo vivificantur, quia legis, & ſe-
cundùm tuam interpretationem intelli-
gis, iam teipſum tibi ſubijcis, non mor-
tuis ſcripturis; plùs ergò tu vales, qui
tuo ſpiritu illas vivificas, quàm de ſe illæ
à nullo vivificatæ: Si ergò à maiore ſpi-
ritu vivificentur, & te illis ſic vivificatis
ſubijcis, iam illas ab alio accipis, qui ſit
te maior, nè erres. Sed qui tibi fidem fa-
cit, vt, à quo ſcripturas accipis, licet
vetuſtiſſimis codicibus excerptas, pluri-
bus exemplaribus concordatas, ille tibi
tradat inſpiratas à Deo, & inſpirante
Deo conſcriptas? An ſine ſcripturis non
eſt, vel non poteſt eſſe Verbum Domi-
*Iſ.*40.8. ni noſtri, quod teſte Iſaia, manet in
Pſ 104. æternum? Aut ſine illis non eſt hære-
10. ditas Teſtamenti Domini, quod à Davi-
Matt. de & Chriſto teſtiſicatur ſempiternum?
26. 38. At primitiva Eccleſia fuit tàm novi,
quàm veteris Teſtamenti ſine ſcripturis,
& tamen verbum Domini commenda-
batur à Moyſe, & ab Apoſtolis in corda
fidelium. Et quando illas ſcripſerunt,
eo Spiritu ſcripſerunt, qui per teſtimo-
nium

nium fidele gratiarũ superiùs recensitarũ confirmabat veritatẽ: undè talibus testimonijs receptæ sunt, nè periret factorũ memoria in posteros, ergò eas posteri traditione quâdâm Patrum in filios exceperunt; quòd si non exceperunt, quomodo habemus illas? & si eodẽ spiritu quo sunt scriptæ, non intelligimus, quomodo benè intelligimus? Ergò Scripturæ traditione quadam in Ecclesia servantur, & Spiritu illo, quo scriptæ sunt, legitimè interpretantur. Ideò ait Apostolus: Fratres state; & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem siue per epistolam nostram; non enim qui possident prædia, vel Principatus hæreditarios sine codicillis avorum, hæreditate privantur; quamvis nemo filiorum demonstrare possit suæ nativitatis principia, vt hæreditatem legitimè capiat; sed Patribus credit, & filijs suis refert, quæ audiuit; quare Moyses: Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Et David cecinit: Quanta mandavit Patribus nostris, nota facere ea filijs suis, ut cognoscat generatio altera; filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis. Traditio ergò est anterior Scripturis, ergò Scripturæ robur habent ab eo, qui tradit eas, & accipit; nam qui tradit, alicui

2. Tess. 2. 14. *Deut. 32.* *Ps. 77. 6.*

tradit, & qui accipit, ab aliquo accipit: Ergò & ſenſus illarum vivificatur ab eius ſpiritu, qui tradit & accipit; Si ergò ſpiritus tradentis non eſt idem, vel vnitate, vel conformitate cum ſpiritu accipientis, poteſt contingere diſſidium in ſenſûs intelligentia. Tunc verò cui potiùs credendum, tradenti, an accipienti? Profectò ſi tradit illas Author ipſe, qui fecit ſcripturas, non eſt melior ipſo, qui ſuam mentem explicare poſſit,
Rom.14 5. ſi vivat; ſi verò mortuus ſit, diverſi diverſa ſentient, vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundans. Sic ſcripta Lutheri, & Calvini, quis hominum meliùs intellexit, quàm ipſi? Quando autem mortui ſunt, relicta ſunt vt intelligant, qui eos tuentur, non qui eos condemnant. Nam qui condemnant, non vivificant, ſed occidũt, quia ſpeculativè intelligũt, diſcrepare à veritate: qui verò tuẽtur; & ſpeculativè intelligũt, & practicè adhærẽt; & ſic eas mortuas ſcripturas vivificant.
1.Cor.2. 11. Quis enim hominũ ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Cùm ergo homo ſuos conceptus cõmunibus ſignis verborũ, vel ſcripturæ tradat alijs, ſi difficultas intelligendi contingat, non tradenti, ſed accipienti continget; propter quod, cum Diſcipulis Chriſtum audientibus, interrogabit dicentem?

centem; vt parabolam ediſſerat. Ita & *Matth.*
quæ Dei ſunt, nemo cognoſcit, niſi Spi- 13.36.
ritus Dei. Nos autem, dicit Apoſtolus, *vt ſuprà*
non ſpiritum huius mundi accepimus,
ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus
quæ à Deo donata ſunt nobis: (& antea)
Nobis autem revelavit Deus per Spiritũ
ſuum. Et ad Galatas: Notum enim vo- *Gal.*1.12
bis facio Evangelium, quod Evangeliza-
tum eſt à me, quia non eſt ſecundùm ho-
minem; neq; enim ego ab homine acce-
pi illud, neq; didici, ſed per revelationẽ
IESU Chriſti. Et vndè probas hæc popu-
lo ô Paule? An non & alij Iudæi, qui
Scripturis reſiſtunt tibi poſſunt hoc dice-
re, quòd acceperint per revelationem
Moyſis à Deo? Et tamen Paulus ſine
Scripturis Novi Teſtamenti prævalebat
adverſus eos, quia ſuum Verbum vivi-
ficabat Spiritu Eccleſiæ, qui prodigiis,
& virtutibus confirmabat eam, quæ ab
Apoſtolis innovabatur, doctrinam. Qua-
re in Deuteronomio interroganti: Quo- *Deut.*18
modo poſſum intelligere verbum, quod 22.
Dominus non eſt locutus? reſpondetur.
Hoc habebis ſignum: quod in Nomine
Domini Propheta ille prædixerit, &
non evenerit? hoc Dominus non eſt lo-
cutus. Hoc ipſum tenetur facere, qui
legem, & doctrinam hæreditate in Ec-
cleſia acceptam vellet immutare, vt Spi-

ritûs gratiis prædictis confirmet se mitti à Deo; quia alioquin qui in possessu est traditionis & Scripturarum, maiorem habet titulum continuandi suam possessionem, quàm aliis cedendi per interpretationem novam Scripturarum. Patet ergò, quòd adminicula fidei, cuiusmodi sunt Traditio, & Scriptura; robur habent à Spiritu Ecclesiæ, & ab ipsa Dei Ecclesia.

PROPOSITIO XI.

Fidele testimonium Religionis debet attendere, quod promittit.

IN hoc etiam mendacij convincitur fides, si quæ promittit, non attendat; non enim minùs mentitur, qui, quod non est, affirmat, vel contrà; quàm qui, quod datis pactis promittit, & expletis, promissa non servat. Si igitur vera Fides & Religio in mundo est à Deo, quicquid in sua religione promittit, attendet sub positis conditionibus; Propterea ipse per David protestatur: quòd Testa-
Ps. 88. mentum eius electis dispositum, in æternum servabit suo Primogenito, quem ponet excelsum præ regibus terræ: Et Paulus non semel, fidelem in Verbo suo
1. *Tess.* 5. Deum testificans, ait: Fidelis est, qui
24. qui vocavit vos, qui etiam faciet; sed
Luc. 10. quid faciet? vt in æternum vivamus.
25.

Sed

Sed quomodo? Si in sua fide serventur &18.18.
eius mandata. Vndè autem hoc novimus, qui solâ spe fidei lactamur? Vtiq; si Rom.8.
multorum promissiones olim completæ 23.
sint, & futuras promissiones nobis complendas conijcimus; Si igitur videmus veteris testamenti figuras fideliter in Christo completas; Prophetarum, & Christi plurima oracula suos sortita effectus, quæ consequenter prædicuntur ventura, mendacii incusare sine temeritate non possumus; hæc eadē fore confirmante Spiritu, qui suis gratiis in Ecclesia vera, testimoniū fidele perhibuit.

PROPOSITIO XII.

In vera Religione datur parvulis sapiĕtia.

NE tamen quis putet à vera fide illudi, cùm sibi pro altera vita promittuntur, quæ nec oculus vidit, nec 1.Cor.2.
auris audivit, quæ præparavit Deus iis, 9.
qui diligunt illum: ideò pro hac etiam vita datur in pignus veritatis parvulis & humilibus, de puro corde fidem profitentibus, & opere vivificantibus sapientia, quæ est maximum donorum, quod homo consequi possit in hac vita; sed cùm initium Divinæ sapientiæ sit timor Domini, Ps. 110.
oportet vt gradatim à timore Domini 10.
fidelis ascendat vsq; ad sapientiam per alios gradus, qui sunt dona Spiritûs:

Quæ

Quæ affatim fore in primo fidelium ca-
Is.11. 2. pite vaticinatur Isaias dicens: Et requi-
escet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilii & fortitudinis; Spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini. A Capite autem in membra fidei, eadem promittuntur: Ego
Luc.21. enim (ait Christus) dabo vobis os, &
15. sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.
Prov.8. Sapientia item parvulis astutiam pro-
5. mittit, quæ comprehendat sapientes hu-
1.Cor.3. ius mundi in astutia eorum: Et ecce, qui
18. receperunt hanc sapientiam cœlestem, nisi simplices Piscatores, rudes, illiterati Apostoli, qui in obsequium Christi sine ulla vi, sine indulgentia voluptatum terrenarum, aut fastu, aut opum corruptela, nudi, imbelles, solo Dei Spiritu instructi mundum vniversum subegerũt,
1.Cor.1. prædicantes Christum Crucifixum, Iudæ-
23. is scandalum, Gentibus autem stultitiã? Quæ esset prudentia humana, vt ad introducendam novam sectam eligerentur ex populo rudiores, vt mittantur ad mundi sapientes vincendos, & non potiùs magis in scientiis versati? hoc est hominum consilium; illud autem Dei,
Ibid. vt ostendat esse suum opus, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominib⁹,

&

& quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus: Videte n. vocationem veſtram fratres; quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus; & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret. Hoc turbatores Eccleſiæ nunquam habuerunt, vt Arius, Eutyches, Dioſcorus, &c. qui multo literarum ſtudio, & Principum gratiâ confiſi, ſuas hæreſes ſuſcitabant. Vtinam & qui in vera Religione ſunt ſaperent, & intelligerent, & nouiſſima providerent. Sed quid? Dum multi gloriantur cum Phariſæis dicentes: Patrem habemus Abraham, nec requirunt ſanctis fidei operibus Deum, ſimul inutiles facti ſunt, quia non eſt, qui faciat bonum.

Deut.32. 29. *Matt.3.* *Pſ.13.3.*

PROPOSITIO XIII.

In vera fide Iuſtitiæ Domini lætificant corda.

ALium veræ fidei, & Religionis ſignum eſt, legis Iuſtitia: Lex autem cùm in vera religione ſit immaculata, vtiq; rectas habebit iuſtitiæ partes. Nam cùm partes iuſtitiæ ſint reddere vnicuiq;

quod

quod ſuum eſt: Cùm munificentiſſimè Deus omnia donaverit homini, ponens
Rom.8. in eius libertate animam ſuam, vt poſ-
Gen.1. ſet facere bonum, vel malum; Tanto beneficio iuſtum fuerat, vt homo Deo redderet omnia: Quia tamen infinita inæqualitas eſt inter Deum & hominē; quia Deus ex charitate immenſa donat, homo autem reddit, quod recepit ex amore limitato ad Deum, & hoc Dei ipſius gratiâ: Ideo pro hac iuſtitia intervenire debuit promiſſionum pactum, ex mera miſericordia Dei, quæ ſupere-
Iac.2.13. xaltat iudicium: Non enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis;
Rom.8. ſed dignificantur ex Dei gratia, & Ieſu
18. Chriſti paſſione, quâ nobis promeritus
Ib.c.5. eſt vitam æternam; & ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia: Ita ſcilicet omnes actiones humanæ, licet moraliter bonæ, ſine divina gratia, nullius ſunt valoris ad ſupernaturalia præmia, ſed valere tantùm poſſunt pro conſequendis bonis naturæ; & ſunt tantùm diſpoſitiones remotæ ad conciliandam Dei miſericordiam, quatenùs boni mores non ponunt obicem recipiendæ gratiæ; ſicut è contrà mali mores, & peccata poſitivè reſiſtunt miſericordiæ, & gratiæ. Sed ſi humana actio divinæ

gra-

gratiæ pretio locupletetur, ſicut ſi plumbo aurum immiſceatur; exinde tantum habet valorem, vt poſſit obtinere divinas promiſſiones; quia commenſuratur illius condignitas, non ex abſolutis, quia ſic nullum creatum eſt Deo condignum; ſed ex divinæ gratiæ infuſione, quæ elevat, quod naturale eſt ſupra naturam; & ex promiſſis à Deo factis, quæ fideliter Deus attendit; Vt gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per IESUM Chriſtum Dominum noſtrum. *Ibid.*
Sic ergo homo piè & iuſtè vivens in recta fide, non modò in proſperis, ſed ſuperabundat gaudio in omni tribulatione, quia in paucis fidelis, ſupra multa conſtituitur, vt intret in gaudium Domini ſui. *2.Cor.7.4.* *Mat.25.* Præmium enim certum labores dulcorat, & magnitudo eius, vires miniſtrat. Propoſita ſponſio certantem ſtimulat, & ſponſoris gratia gaudium communicat. Quia fructus Spiritûs ſunt: *Gal.5.22.* Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continētia, caſtitas. Et gratia gratiā parit. Puta, Charitas parit fructum charitatis in ſui incrementum; & fides fidei fructum parit in ſui augmentum, dum exercentur, & ſic de reliquis. Rurſùs ſicut iuſti tanquam aurum tribulationis igne proban- *1.Petr.1.7.*

tur,

tur, & gaudium indè percipiunt; ita
peccatores, divinâ providentiâ tribula-
*Num.*21. tionem reperiunt, ut ad ipſum conver-
Pſ. 119. tantur, & in ipſum reſpiciant, & ad De-
um clament, dum tribulantur, & dum
2.*Cor.*7. contriſtantur ad pœnitentiam, ſecun-
dùm Deum contriſtati, ſalutem ſtabilẽ
conſequãtur, quæ gaudium verum pro-
Eccl. 1. ducit; nam Religioſitas cuſtodiet, & iu-
18. ſtificabit cor, iucunditatem atq; gaudiũ
dabit, ait Eccleſiaſticus. Tandẽ ſi divinæ
iuſtitiæ rigor impœnitẽtes æternis deſti-
nat ignibus, hoc ipſũ fit citra culpæ con-
dignum. Patet ergo, quòd Iuſtitiæ Do-
mini de ſe ſunt eiuſmodi, vt ſui recti-
tudine miſericorditer nobiſcum adhibi-
ta, lætificent veros fideles.

PROPOSITIO XIV.

In vera Religione, Dei Præcepta lucida ſunt, & mentem illuminant.

AD legem etiam divinam ſpectant,
vt ſint eius præcepta lucida, non
*Leu.*1.18. tenebricosa; certa, non dubia; perſpi-
cua, non amphilogica, non æquivoca.
Dantur enim; vt ſerventur. In dubiis
verò potiùs non eſt agendum: Propte-
*Ecc.*2.14 rea minatur Eccleſiaſticus: Væ duplici
corde, & labiis ſceleſtis; & peccatori
terram ingredienti duabus viis. Idcirco
quæ ſunt intellectu obſcura in ſacris Bi-

bliis, non solent spectare ad præcepta; sed aut ad figuras, aut Prophetias, &c. Vt nemo ignorare possit, quid debeat facere: Neq; item de impossibilibus datur Præceptum; si enim omnia possibilia sunt credenti, quantò magis, quæ à Deo facienda proponuntur credenti? Vndè dicebat Apostolus: Omnia possum in eo, qui me confortat. Regula tamen perfectione excellit actiones; vt vnusquisq; quantum potest ad ipsam accedat: Sicuti demonstrationis regula, quam Aristoteles præscribit, adeò perfecta est, vt nondum in praxi demonstrationem eiusmodi viderim, quæ tot habeat perfectiones, non tamen demonstrationes desunt. Ita Regula divinæ legis perfectissima est, non vt adimpleatur secundum totam suam excellẽtiam, sed secundùm vires singulorum: Vnusquisq; enim onus suum portabit. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. Proprium est autem, quòd quæ proponuntur agenda, priùs lumen cognitionis ingerant menti quam possint voluntatem movere; quia nihil volitum, nisi præcognitum; ergo lucida Dei præcepta, mentem illuminant, iuxta illud: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Sed heu quanta cæcorum turba!

Marc. 9. 22. *Phil. 4.* *Gal. 6.* *1. Cor. 10.* *Io. 8. 12.*

Quia nimirùm à lege Domini aberrant.

PROPOSITIO XV.

Fides vera saltem cum timore Domini manet in æternum.

PRæterea, si fides, & Religio, vera
datur in mundo, ex quo à Deo est,
quamdiù erunt homines in mundo, tam-
diù durare eã oportet. Nam Deus, quod
Malac. semel dedit, semper dedit, cùm sit im-
3. 6. mutabilis: Homines verò quamdiù sunt
in mundo, verâ religione indigent, vt
salvi fiant: Alioquin contra suppositum:
*Gen.*17. Quare Abrahamo factæ sunt repromissi-
6. ones fœdere sempiterno; sicut legitima,
& Præcepta, & Sacerdotium, & Sacri-
ficia, & leges Domini, sparsim fore sem-
piterna, perhibenrur; & quod DEUS
*Ps.*110. mandavit in æternum testamentum su-
um; & oravit Christus, nè deficeret fi-
*Luc.*22. des. Cùm autem à veritate vna multifa-
32. riam declinare contingat, an inter per-
petuos errorum & hæresum fluctus, tan-
dem vera fides in mundo perierit? Quid
*Rom.*3. enim (ait S. Paulus) si quidam illorum
3. (qui sunt in mundo) non crediderunt?
Nunquid incredulitas illorũ Fidem Dei
evacuabit? Absit. Igitur fides vera in
sæcula permanet. Verùm, an in confu-
sione sectarum & errorum, casu contin-

get

get benè credere? Hoc vtiq; magis absurdum, & divinæ providentiæ satis alienum; Si igitur vera fides in mundo datur, ea cognoscibilis est, vt eligatur; & prædictis indicijs in ipsam vnicè concurrentibus, à falsa qualibet religione distingvi poterit. Nè tamen quis cæcutiat in hoc signo, consideret, veram Religionem, & fidem, quantùm ad suam naturam, & veritatem, eandem semper debere esse; quantùm verò ad modum eius, & vicissitudinem temporum, subiacere mutationibus, sicut & cætera tẽporalia iuxta propriam rei exigentiam. Nam quod nunc verum est, & de fide; hoc ipsum fuit ante legem, & tempore legis Mosaicæ; sed ea differentiâ, quam tempus, iuxta Divinæ providentiæ dispositionem exigit; vt credibilia alia revelata sint priùs, alia posteriùs; sicut & Mysteria priùs in figura, inde in re manifestata. Alioquin, si quandoq; verum fuit, legem scriptã non fuisse, & Christũ non fuisse natũ, neq; passum; certè quòd ista & similia nunc dici nequeũt. Ideoq; signum divinæ legis de sancto Dei timore, hìc datur in sæculum sæculi permansuro, quia cùm sit primum veræ fidei, & sapientiæ initium, saltem in vera Ecclesia, nunquam deesse debet, etiamsi in omnium credentium mentibus non essẽt

excellentiora dona Spiritûs, & gratiæ gratis datæ Miraculorum, Prophetiæ, & similium, quæ solent concedi aut singularibus Ecclesiæ personis, aut propter exigentiam temporum, locorumq; iuxta divinæ providentiæ beneplacitum;
1.Reg.3. ideò 1mo Regum dicitur: Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, &
1. Mach. non erat visio manifesta. Et 1. Machab:
c.9.27. Facta est tribulatio magna in Isràél, qualis non fuit ex die, quâ non est visus Propheta in Isràél.

PROPOSITIO XVI.

In vera Religione iudicia Domini iustificantur in semetipsis.

TAndem si vera Religio, & Fides in mundo est, quoniam à Deo esse debet, nè sit humana credulitas, quæ non potest efficere quidquam; oportet eâ iudicia Domini in semetipsis iustificari, & non ab alijs. Primò quidem, quia dictum est, non posse concludi fidei existentiam, demonstratione propriâ, sed communibus indicijs, fidem de fide facientibus; & præcipua ipsorum, cùm sint à Deo, vt Miracula, Prophetiæ, &c. eodem modo credi debent, sicut & religio, & fides. Ergo exinde divini iudicij veritas iustificari ab hominibus non potest. Secundò, quia iustificantur, vel

conde-

condemnantur Iudicia à Tribunali, ius habente, & authoritatem supra res iudicãdas. Et ideò fit Appellatio de minori ad maius, & à maximo non est Appellatio, sed standum est sententiæ eius; At suprà Deum, nullum est Tribunal, neq; de eius operibus authoritativum iudicium, aliter non esset Deus Maximus Optimus, & rerum omnium Alpha & *Apoc.1.*
Omega, principiũ & finis; ergò iudicia 8.
eius non à quopiã iudicari, aut iustificari possunt (quãtò minus condemnari?) sed iustificantur in semetipsis; quare clamabat Gentiũ Magister. O altitudo *Rom.11.*
sapiẽtiæ divitiarũ, & sciẽtiæ Dei, quàm 12.
incomprehẽsibilia sunt iudicia eius &c.

CONCLVSIO.

Ergò adhuc anceps hæres Philopiste? Quia videlicet tantùm nôsti, si vera fides in mundo est, à Deo esse (*p.* 1.) vnam, eandemq; optimam: sed cum fide fides credatur esse, (*p.* 2.) ratione svadeatur esse, non demonstretur evidenter, (*p.* 3.) ambigis adhuc vtrum fidei præstet adhærere, an rationi? Habes veræ Religionis signa in cultu Dei externo, & interno (*p.* 4.) habes legem, in ipsa debere esse (*p.* 5.) & immaculatã; (*p.* 6.) habes, ex fide vera, mẽntes hominũ in Deũ supernaturaliter ferri. (*p.* 7.)

Et veritatis testes, esse omni exceptione maiores ad populum, Miracula, & Prophetias, & huiusmodi, ad vnum dumtaxat gratiæ operationem & assensum, (*p.* 8.) habes, & testium adminicula, traditiones esse, & Scripturas: (*p.* 9.) sed hæc habere vires à vera Dei Ecclesia quam inquiris. (*p.* 10.) Nec dubitas, si veram reperis, quòd promissa non servet. (*p.* 11.) Sed veram nondum invenisti? Quære eam humiliter, rogo; quæ dat parvulis sapientiam; (*p.* 12.) Quære solerter eam, quâ lætetur cor tuum: (*p.* 13.) quære illam, quâ inoffenso curras pede in viâ iustitiæ, & pacis (*p.* 14.) vt per ipsam, quæ perennat in mundo, vivas æternùm. (*p.* 15.) Neq; velis experiri evidenter, quòd electione seligitur, non ingenio humano iustificatur, (*p.* 16.) contentus æmulari Charismata meliora, non retardari sæculi vitio.

ARGVMENTVM III.
De abominandis falsis dogmatibus.

PROPOSITIO I.
Atheismus est detestandus.

NVnc ergò quoniam scriptum est:
Ps. 33. Diverte à malo, & fac bonum: Si

ab

ab omni infidelitate, & secta, recedendum est, maximè ab impietate Atheismi, Deum esse negantis. Nam re vera Deus est Ens vnum, simplicissimum, summè bonum, intelligens, primum rerum principium, sibi sufficiens, æternũ, immensum, incomprehensibile, omni carens labe, & defectu, omnem perfectionem super omnia habens, omnipotens, omniscium, providum, vbiq; existens, operans, omnia comprehendens, illimitatum, incircumscriptum; non loco, non tempore, non corpore vllo definitum, &c. Quæ omnia de Deo velim potiùs supponi, cùm non modò à tot Theologis ritè ostendantur, sed etiam à Philosophis Ethnicis. Hoc enim & omnium sæculorum memoria retinuit; hoc & omnium Gentium religio perhibuit: hoc & omnium Philosophorum doctrina profitetur; hoc & omniũ Theologorum Syllogisatio demonstrat; hoc & sacrorum Bibliorum authoritas docet, vt mirum, & monstruosum sit dari, qui dicat in corde suo: Non est Deus. Si enim datur Ens bonum, & melius; quare non debet dari & optimum? Si perfectum, & perfectius; quare non perfectissimum? Harmonica mundi Symetria cœlorum, & syderum ordinatissimi motus, Elementorum tam concinna stru-

ctura, stirpium, & animalium tam multiplex species, tam mirifica organizatio; omnia vel magna, vel minima Opificem
Ps. 135. suum esse testantur, qui fecit cœlos in
Prov. 8. intellectu, qui certâ lege, & gyro valla-
Id. 3. vit abyssos, qui sapientiâ fundavit terrã,
Rom. 11. quoniã ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula. Amẽ.

PROPOSITIO II.

Omnis superstitio est abominanda.

CVm superstitio sit vitium Religioni oppositum, in vera autem fide sit vera Religio, patet, quòd fideli est abominanda omnis superstitio. Vndè mo-
Colos. 2. 8. nebat Apostolus Colossenses, nè quis eos deciperet per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, & secundùm elementa mun-
v. 16. di. Et rursus: Nemo ergò vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum; Corpus autem Christi: Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans frustrà inflatus sensu carnis suæ: & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentũ Dei. Et paulò post. Quid adhuc in mundo decer-

nitis?

nitis? Nè tetigeritis, neq; gustaveritis, neq; contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso vsu secundùm præcepta & doctrinas hominum; quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, &c. Nam verus cultus debetur vni Deo, & debito modo debetur, nè in ipso mendacium contingat; mendacio enim Deus, debito modo non colitur, sive sit mēdacium verbi, si[v]e facti. Superstitio autem excedit à vero cultu dupliciter, vel quia cultum dat vero Deo, sed modo indebito; vel quia tribuit divinum cultū, cui non debetur divinus cultus.

PROPOSITIO III.

Religio, ex vi suæ legis Deum colens, verùm indebito modo, non est bona.

QVia lex in vera Religione debet esse immaculata; ergo si in aliqua religione præcipiatur cultus indebito modo, illa religio non erit bona, & consequenter erit abominabilis. Hoc autem contingere potest primò ex malo conceptu colentium Deum, circa ipsum Deum habito, vt tribuendo ipsi, quæ non debent tribui; v. g. quòd sit corporeus, vel anima mundi, vel quid simile; aut non tribuendo ipsi, quæ ei debentur; v. g. quòd non sit iustus, misericors, &c.

Quod pertinat ad blaſphemiam & hære-
ſim: contra quos ita Deum malè ado-
Io.4.22. rantes; ſcriptum eſt: Vos adoratis, quod
neſcitis, nos adoramus, quod ſcimus;
quia ſalus ex Iudæis eſt: ſed venit hora,
& nunc eſt, quandò veri adoratores
adorabunt Patrem in Spiritu, & verita-
te; nam & Pater tales quærit, qui ado-
rent eum; Spiritus eſt Deus; & eos qui
adorant eũ; in Spiritu, & veritate opor-
tet adorare. Hoc ergò quantùm ad Dei
cultum intrinſecum. Secundò, poteſt
contingere indebitus cultus etiam ex in-
trinſeco mendacio, quatenus exhibitio
actionis, aut rei, non concordat cum re
ſignificata; vt apud Chriſtianos Sacrifi-
cia, & Cæremoniæ legis veteris, quæ
Col. 2. ſunt vmbra futurorum, Corpus autem
Chriſti. Tertiò, offerendo Deo, quæ
communi hominum æſtimatione ſunt
indecentia, & indigna, vt ſi quis ſordi-
bus, aut carnis concupiſcentiâ, aut ho-
micidijs, aut qualicunq; peccato putaret
Ioa. 16. obſequium Deo ſe præſtare. De hoc di-
citur. Quid niteris bonam oſtendere vi-
Ier.2.33. am tuam ad quærendam dilectionem?
&c. Quartò, privatâ authoritate ritum,
publicâ, & legitimâ authoritate præſcri-
ptum ad Dei cultum immutando; vt ſi
aliter Sacrificia feciſſent Sacerdotes ve-
teris legis, quàm in Levitico præcipiun-
tur;

tur; nam legitima lex & conſuetudo iuſta, quæ vim legis habet, circa publicas religionis veræ functiones privatos homines obligat, vt temerè violantes ipſâ ſint pœnâ digni; pœna autem culpam ſupponit. Sicut in humanis: ſi Rex, aut Reſpublica Legatum mittat vt faciat hæc, & hæc; ille autem prætergrediẽs Regis, aut Reip. mandatum, alia etiamſi de ſe bona faciat, & reus eſſet, & pœnâ puniendus.

PROPOSITIO IV.

Qui facit Deum authorem peccati, non eſt in vera ſide.

PRimo modo errant in vera Dei adoratione, qui Deum cognoſcunt, vt peccati authorem. Nam in Deo nulla eſt
iniquitas; neq; eſt Deus volens iniquita- *Deut.* 32.
tem: Et in Scripturis homini ſemper 4.
iniquitas attribuitur; & monetur, nè *Pſ.* 5. 5.
faciat iniquitatem, & vt ſe abſtineat à *Ib.*
vijs malis, &c. Sed peccatum eſt iniqui- 1. *Io.* 3.
tas; & omnis iniquitas peccatum eſt; 4.
ergo Deus non eſt author peccati: Tum *Ib.* 5. 17.
quia Deus eſt cauſa efficiens, & non deficiens; peccati autem cauſa, eſt deficiens; qui enim peccat non efficit, quod debet, ſed deficit à lege & iuſtitia; ergo Deus non eſt cauſa peccati. Tum, quia non modò Deus; ſed neq; Iudices

in hoc mundo iustè facinorosos homines punirent de sceleribus, quorum ipsi non essent authores, sed Deus; non ergo Deus est author culpæ, & peccati, quamquam sit author mali pœnæ, quæ propter iustam peccati punitionem infligitur; Qui igitur ita de Domino sentiunt, non sunt in veritate fidei divinæ,
Sap.1.1. quæ per Sapientiam ait: Sentite de Domino in bonitate. Neque hic angi debes, quod intelligi benè non possit, quomodò Deus permittat peccata; quomodò connectatur prædestinatio, & præscientia infallibilis Dei cum libertate humana; quomodò efficacia gratiæ, donum perseverantiæ, concursus divinus, cum actibus hominum, & huiusmodi alia, nexum habeant cum libera boni, & mali electione; nam ista sunt Scholasticis
Eccl.7.30. relinquenda, cum Ecclesiaste eis dicendo: Solummodò hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis, vt sapiens est? & quis cognovit solutionẽ verbi? Nam difficultates contingunt in minimis, quæ sunt in conspectu omnium; quantò magis in ijs, quæ spectant ad incomprehensibilẽ Dei Sapientiam, & consilium? Non enim argumentari datur à priori, in ijs, quæ Dei sunt; sed à posteriori meliùs; cùm

ergo

ergo Deus per suas Scripturas dicat, hominem esse liberum; & ipsum per Prophetas ad bonum adhortetur, vt consequatur præmium vitæ, quid vltrà retardari debet, nè faciat? Certò enim sciet postea, si modò nondum scire potest, quòd; si malè egerit, iustè damnabitur. *Sap. 5.* An quia nescis, quomodo fiat in te nutritio, & per quas venas chylus pertranseat, propterea desistis bonos quærere cibos, & venenatos vitare, nè pereas? Non ergo nescientia detineat voluntatē à boni operis exequutione.

PROPOSITIO V.

Mahometanorum secta est superstitiosa.

SEcundo, & tertio modo errant Mahometani, in veri Dei cultu; nam Alchoranus, in quo continētur huius sectæ fundamēta, de singulis religionibus aliqua comminiscitur, & dum omnia amplectitur, vt novam constituat Religionem, nullam facit veram. Cuius libri sola lectio posset pro superstitionis confutatione esse satis, cùm ibi contineantur ridicula; contradictoria, absurda, & sordida; Totumq; beatitudinis humanæ præmium in carnis voluptatibus ponit, etiam post mortem; quibus ait Christus: Erratis nescientes Scripturas, *Matth. 22.29.* neq; virtutē Dei; in resurrectione enim

neq;

neq; nubent, neq; nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Imò & beatis Spiritibus Alchoranus tribuit corpus, & carnis concupiſcentiam, & libidinem, & deceptiones; Scriptum eſt autem;
Luc. 24. 39. quia Spiritus carnem & oſſa non habet,
hæc enim (ſcilicet caro & Spiritus) ſibi
Gal. 5. 17. invicem adverſantur in eodem homine;
quantò magis in Spiritu cœleſti, qui Dei viſione iam fruitur? Præterea huius ſectæ propagatio non facta eſt legitima divinæ fidei confirmatione, ſed Tyrannide, & ferro, & nullis miraculis, vt ipſe Alchoranus proteſtatur. Non eſt eſt autem mirum multos habere aſſeclas, qui voluptatibus, & illecebris carnis, & ſenſûs, invitat; quia eiuſmodi apoſtata-
Eccli. 19. re faciunt & ſapientes. Ideò maximè ſuſpecti ſunt habendi, qui religionem immutant ad laxandas concupiſcentias, quibus in vera religione prohibentur. Inſuper cùm habeant circumciſionem, circumciſio autem ſit ſignum Chriſti promiſſi ex Abrahæ ſtirpe; Chriſtum verò ipſi fateantur veniſſe; iam tenent mendaciter ſignum ſine re ſignificata. Accedit, quòd communiter Turcæ putent omnes eſſe ſalvandos in ſua fide; cùm ergo hoc neq; ſentiant, neq; ſentire poſſint, qui ſunt in vera religione; nam vna eſt veritas; ipſi vt ſecuri ſint, debent
transi-

transire ad veram Religionem, in qua & ipsi, & alij affirment se posse salvari. Vltimò tandem impietatis arguuntur, quòd de fide nullum admittant discursum, sed armorum vi dilatari affectent; Quod si Apostolis dictum est: Quicunq; non receperit vos, neq; audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris; quantò magis cum his congruit, vbi auditus non est, nè effundamus sermonem. *Matt. 10.14.* *Eccli.32. 5.*

PROPOSITIO VI.

Hæreses in Christiana fide sunt fugiendæ.

QVarto modo errant hæretici in Dei cultu, præter alios errores, quos fortè retinent mente, & tueri verbis conantur. Nam cùm publicus Dei cultus præscribatur in Sacrificijs, & cantibus authoritativè à vera Dei Ecclesia, dum ab ipsa Hæretici recedũt, & propriâ authoritate novum cultum publicum intentant, innovare manifestum est non esse in vera Religione. Constat verò in singulis Religionibus, sive falsis, sive vera, diversas & varias esse sectas, & opiniones hominum; quare ad Corinthios scripsit Apostolus. Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo; nam oportet & hæreses esse, vt & qui probati *1.Cor. 11 19.*

bati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Et
Matt. Chriſtus apud Matthæum: Neceſſe eſt
18. 7. enim vt veniant ſcandala: Quæ quidem
neceſſitas ſcandalorum, & hæreſum, ex
eo deducitur fore in Eccleſia, quia cum
veritatis via ſit vna, eaq; recta; moraliter fieri non poteſt, vt in tanta multitudine populorum, & hominum non ſint,
qui ab ipſa non exorbitent, vel ignorantiâ, vel paſſione concupiſcibilis, &
iraſcibilis, vel tandem malitiâ. Hoc
ipſum in Eccleſia Chriſtiana contingit,
vt in tanta Republica hominum ſint ſectæ, & congregationes diverſæ, &
quod in ſuis primordijs Iudæi dixerunt,
quòd eſſet hæreſis; Quare Paulus Præ-
Act. 24. ſidi Felici confeſſus eſt, quòd ſecundùm
14. ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſerviebat Patri & Deo ſuo: Ita & nunc
mutuò convitia ferant, dum profitentur
omnes Chriſtiani eſſe, paſſim ſeſe de
hæreſi incuſant. Notandum eſt autem
nè calumnia veritati noceat; quòd aliud
eſt differre in opinionibus, aliud differre in morum & rituum obſervantijs,
aliud differre in fide. Opinio enim non
innititur divinæ revelationi, ſed ex probabilibus concludit à ratione humana
adinventis; & quando eſt huiuſmodi
diſſidium, quanquam non conveniant
in hoc, quod alter defendit, v. g. vnam
partem

partem & alter aliam. Tamen si benè norunt, sciunt vtramq; esse opinionem, & vt talem tenent; & in alijs rebus fortè non discrepant. Et hoc modo sunt in Papatu diversæ scholæ, tum Philosophiæ, tum Theologiæ; vt Thomistæ, Scotistæ, Nominales, &c. Rursùs diversa vivendi professio, cum maiore, vel minore abstinentia, cum habitu magis, vel minùs austero, cum illis, vel alijs observantiæ regulis, sicut faciunt in Papatu, qui dicuntur Monachi, vel Regulares; Imò sub vno Regulæ institutore Francisco, Conventuales, Observantes, Reformati, Capuccini, &c. nullam arguunt divinæ fidei scissionem; nam diversimodè viventes, possunt eadem omninò credibilia tenere; sicut contingit & malos, & bonos credere, vnum esse Deum. Nunc ergò supposito, Christianam Religionem esse verã, in ea oportet & hæreses esse, cùm non omnes eadem credant. Hæresis autem non est error aut ex ignorantia, aut ex passione per se procedens; sed ex malitia. Ideò Doctor Gentium Titum monens dicit: Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem devita. Tit. 3. 10. Cùm ergò omnes Christiani certò cognoscant hæreses esse vitandas, quâ regulâ vtentur, vt cognoscant, quænam

 sint

ſint hæreſes? Quis erit hæreſum Iudex? Quis ille, qui poſt vnam, & alteram correptionem hæreticum demonſtret vitandum? Si Scriptura mortua, & ſine certo interprete; quare ex vna Scriptura tot ſectæ? quare ex ſolis verbis pro Euchariſtiæ veritate concludenda, tot hæreſes? Si autem vnuſquiſq; pro ſuo libito interpres, & iudex, maius erit diſſidium, & Chriſti Eccleſia minore prouidentiâ fundata.

PROPOSITIO VII.

Idololatria eſt eliminanda.

TAndem inter omnes ſuperſtitiones Idololatria eſt maximè fugienda, quæ eſt Idolorum latria, id eſt, adoratio vero Deo debita, Idolis exhibita, & creaturis: Nam cùm re verâ vnus ſit Deus, non plures; eſt maxima falſitas, honore, & cultum dininum communem facere pluribus dijs, aut Statuis, aut creaturis; putando in ipſis eſſe divinitatem, aut etiam exteriùs divinitatem in ipſis cultu ipſo profitendo eſſe, quæ nullo modo
Sap. 14. poteſt eſſe, quia Divinitas vna eſt, &
21. individua, & immultiplicabilis, & nomen eius incommunicabile. Quare, qui
Exod. 20. ait: Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper

desuper, & quæ in terra deorsum, neq; eorum, quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neq; coles. Dixit etiam: Ego primus, & ego novissimus; & absq; me, non est Deus. Hîc autem considerare oportet, quòd adoratio, cultus, reverentia, & honor; quanquam scriptum sit: Soli Deo honor, & gloria; tamen alijs à Deo exhibetur. Sic Abraham tres viros, qui apparuerunt ei, cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terram. Et Loth similiter Angelos duos adoravit pronus in terram, obsecrans, vt in domum suam declinarent: è contrà Ioanni ante pedes Angeli adoraturo Angelus dixit: Vide, nè feceris; sed Deum adora. Quia scilicet liberum est, honorem recusare, quem creatura creaturæ velit impendere. Iterùm, Iosephum fratres adoraverunt in Ægypto, & offerrentes ei munera proni in terrã, & incurvati venerabantur; Non secùs & Miphiboseth filius Ionathæ corruit in faciem suam, & adoravit Davidem; mulierq; Thecuitis cecidit coram eodem super terram, & adoravit, vt pro Absolonis vita eum deprecaretur. Et Iudith prosternens se super terram, Holophernem venerata est, sicut & nostris temporibus Præcelsos terræ Principes flexis

Is.44.6. *1.Tim.1.* *Gen. 18.* *Ib. 19.* *Apoc.22* *Gen.42. & 43.* *2.Reg.9 & 14.* *Iud. 10.*

etiam genibus alloqui, & honorare populi solent. Imò & filij suos patres, & servi Dominos honorare iubentur; & oscula, reverentias, inclinationes, obsequia, tum hominibus, tum rebus inanimatis creberrimè impendimus. Oportet ergo inter cultum & cultum, inter honorem & honorem, inter adorationē & adorationem esse discrimen, nè sit culpabilis; quod aliud non reperio, nisi, nè fiant huiusmodi interiùs, vel exteriùs mendaciter, & ad deceptionem videntium. Etenim cùm coram homine genuflectis, & veniam petis, quid ampliùs facis cum Deo, nisi, quòd hunc super omnia cognoscis mente, illum verò tibi naturâ similem, atq; mortalem? Quod si hominem putares particulâ divinitatis aliquâ præditum, iam sic adorans idololatriam committeres. Item, quid differt, quòd absentis amici epistolas excipis reverenter, & deoscularis, & in memoriam illius scrinio diligenter
Mat.23. asservas, non aliter atq; Iudæi olim in Philacterijs divinam legem scriptam circa frontem præseferebant? Et quòd tanto honore Arca Testamenti custodiebatur, & animalium sacrificia fiebant, quibus non omnibus liceret vti, & huiusmodi; sicut & id dijs suis Ethnici præstabant? Verùm si Seneca Iovis,
aut

aut Mercurij simulacro litet, quamquam mente non erret, benè intelligens, idolum in mundo nihil esse; errat tamen facto ipso extrinseco, quia palam approbat, quod reprobat intùs; nec id scenicè fieri constat, aut ioco, sed seriò deceptioni inservit; & honorem ijs tribuit, qui nullo sunt honore digni. Debet ergò, quod honoratur, & colitur, aliquo titulo esse honorabile, & cultu dignum, & mente colentis, & honorantis commensuranda veritas, nè decipiatur obiecto; & quem extrinsecâ actione profitetur, honorem, & cultum, communi hominum æstimatione non præbeat locum deceptioni. 1.Cor.8. 4. Sap. 14.

PROPOSITIO VIII.

Hominis animam mortalem faciens, vera Religione caret.

SI qui profitētur errorē aliquē, divinæ Religionis sunt expertes, in eorum Album pariter referri debent, qui ponunt hominis animam perire simul cum corpore; nam revera Spiritus hominis superstes est post eius obitum corporalem, & immortalitate donatus. Quòd indè probatur; quia quædam hominis operationes, vt sunt velle, & intelligere, omninò spirituales sunt, neq; à materia dependent, neq; contrarietatem

patiuntur ab Elementis; quamobrem mens humana ſuper omnia ſenſibilia, & corporea erigitur ad Deum intelligendũ & Spiritus incorporeos; & quod non evenit reliquis animantibus, Religionis ſtimulo angitur, & beatitatis deſiderio movetur, quâ ſe hiſce corporeis ſatiari non ſentit; & idem per plures annos homo exiſtens vitâ mortalitatis fluxu mutabili, tot vnâ mente conſervat ſpecies rerum, ſcientiarum, linguarum, quas ſemel didicit, vt niſi ſpiritu inextingvibili reponantur, & adhæreant, excogitari non poſſit, quomodo perſeverent; atq; ſi vini dolium iugiter diffluens, aquæ ſupplemento reparetur eumdem ſaporem ſemper retinens, aut meliorem. Accedit pro hac veritate tot hominum, & ſæculorum conſenſus, quo prophana Philoſophia Gentium, divinis inſiſtens oraculis, inter Academi-
Gen.2.7. cos novit à Deo vitæ ſpiraculũ in humanos artus inſpiratum: Et Epicureis non rectè cogitantibus reſiſtens cum ſapien-
Sap. 2. tia concluſit, quod Deus creavit homi-
& 3. nem inexterminabilem; vt ſpes illius
& 4. immortalitate boni obtinendi ſit plena,
& 5. quia ex iuſtitia ſua in perpetuum vivet. Luculentiùs verò quas Ioannes animas
Apoc.6. interfectorum vidit, Chriſtus docuerat
9. dicens: Qui amat animam ſuam, perdet

det eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Quid enim ſi corporis morte evaneſceret, de Religione amplius quærimus? Quid ſi carnis interitu ſuccumberet, odio legum cuſtodire ſatagimus, nè in gehennam perdamus? Nonnè tunc melius eſſet comedere, & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis? *Eccl. 2. 24.* quàm abſtinere, & ieiunijs vigiliiſq; tabeſcere, & totâ die conſcientiâ torqueri? Nonné tunc felicius homini ſuccederet, ſi leonum robore potiretur ad prædam, corvorum annos ſortiretur ad vitam, aquilæ pennis donaretur ad volatum, ſtruthionum aqualiculis fatiſceret ad voluptates? Quid in his dominetur, quibus ſe inferiorem agnoſceret? Aut dum exleges campi beſtias ſine cura viventes conſiderat, nonne acerbiùs emancipatur, qui Gentium iuribus vndequaq; obſidetur? Deus porrò qui eſt, & intuetur vividè, quos fecit, homines, & iuſtus eſt ad retribuendum, cum hominum curis & laboribus inquiri, & amari per tot ærumnas mortalis vitæ ſtimulare non deſiſtat, ſicuti per conceſſum ſuper cætera ſenſilia dominium, maius quid in nobis eſſe, quàm in illis teſtatur; ita per divinorum ſolicitudinem, propemodum humanis in-

natam cordibus pellucidè oſtendit, quòd habemus theſaurum in vaſis fictilibus, quem cuſtodire debemus, animam ſcilicet immortalem in hoc corruptibili corpore; propterea inquit: Nolite ti-
Matt. mere eos, qui occidunt corpus, animā
10.28. autem non poſſunt occidere, ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.

PROPOSITIO IX.

Hominem liberū ad benè & malè agendum, negans, fidem veram non tenet.

IDentidem, ſi qui hominem liberum non ponant ad benè & malè agendum; vel eius actiones omnes afferant eiuſdem eſſe ſpeciei; vel malas, vel tantùm bonas; quam religionem conſtituent? Si enim homo, fato, & neceſſitate quâdam, in ſua ducitur; hoc ipſo & neceſſitate damnaretur, vel ſalvus fieret; quid ergò curandum vlteriùs, ſive concionibus, ſive ſtudijs, ſive præceptis inſtituere mortalis vitæ curriculum? Quid
*Mat.*12. Paterfamilias allaborat, vt vocet operarios in vineam ſuam? Quid pro exigendis indè frugibus pueros ſuos, Patri-
*Marc.*12. archas, Prophetas, vltimò tandem
Gal. 4. vnigenitum Filium expedivit? Quid vo-
& 5. camur in libertatē; quâ libertate Chri-
*Iac.*1.25. ſtus nos liberavit, & in legem perfectā liber-

libertatis; si libertate caremus? an ergò vt nasci, & mori; ita & velle, & nolle? vt arteriæ pulsus, & respiratio, ita fuga, & electio? Quid ergò legibus scelera proscribuntur, & nefarijs hominibus decernuntur supplicia, si fato, & non voluntate ipsâ trahuntur? Quodsi omnia opera, quæ fiunt, bona sunt, quare tibi non bona approbãtur, ut ab alijs potiùs honorari velis, quàm iniuriam pati, beneficia recipere, quàm occidi? Dictamen ipsum legis naturalis quid inquit? Ecce primùm. Omnia quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Ecce alterum: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, nè tu aliquandò alteri facias. Si ergò in te alia odisti, nè fiant tibi, alia amas vt fiant; discernis vtiq; alia ex hominibus esse mala, alia bona. Quæ si necessitate proveniunt, quid quereris fieri, aut non fieri? quid discernis inter bonum & malum, cùm vtriusq; ponas idem principium, necessitatem & fatum? Neq; rursùs divinæ gratiæ decretis æternis crucieris, rogo; Quia illa, quomodocumq; sint, in beneficium humanæ salutis sunt. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Cui volet malè facere Deus, qui solus naturâ suâ bonus est? An tu respirare cessas, intelligens id fieri sine àëris beneficio non posse?

Mat.7. 12.
Tob. 4. 16.
Rom.8. 32.
Luc.18. 19.

posse? Quod si laqueo suffocaris, nè áërem haurire possis; áër profectò tibi non deest, nisi quatenùs impeditur. Ita abūdantiùs credas Deum tibi non defuturū; & qui tam liberaliter temporalia omnibus donat, atq; conservat, non affluentiùs spiritualia impertietur? Si ergò vos,
Matth. 7. 11. inquit Christus, cùm sitis mali, nôstis bona data dare filijs vestris; quantò magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se? Patet ergò hominem liberum esse ad benè vel malè agēdum, vt indè præmium, vel pœnā consequi mereatur; qui consilio maturat agenda, electione decernit, legibus paret, suasionibus flectitur, oblectamentis illicitur, sponsionis spe trahitur, sed voluntariè trahitur, non coactè; Ideò
Philom. 14. ad Philemonem suasor fidei ait: Sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti nè velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium; nam vnusquisq; prout destinavit in corde suo (sic facere
2. Cor. 9. 7. debet) non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarē enim datorē diligit Deus:

PROPOSITIO X.

Qui in libertate conscientiæ omnia sibi licere arbitratur, aberrat à vera fide.

2. Cor. 3. 17. QVid ergò? Num, quoniam vbi Spiritus Domini, ibi libertas, cum Paulo

Paulo dicam: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent, sed non omnia ædificant; omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate? Numquid homini volare licet, & in cœlum conscendere; arcana penetrare, & abyssos dimetiri? Quis autem vestrûm cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Ita etiã Nũquid licet idolis immolare, & fornicari, & trãsgredi mãdata Dei, cùm scriptũ sit: Fugite ab idolorum cultura; fugite fornicationem: Mandata mea servate? Qui ergò se omnia licere dicit, non ad ea, quæ aut vires humanas excedunt, aut novæ legis observantia exigit, se refert; sed ad ea dumtaxat, de quibus paulò antè ratiocinabatur. Libertas verò divini Spiritûs, quâ Christus liberat homines à servitute veteris legis, est gratiæ cœlestis vigor, ad benè agendum, & non malè; quia libertas ad malum est infirmitas ex carnis concupiscentia proveniens; ideoq; magis est liber, benè agens; quàm malè agens; in quo sensu scribit Paulus Apostolus ad Timotheum: quia Lex iusto non est posita, sed iniustis & nõ subditis, impijs, & peccatorib⁹, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs,

1. Cor. 6. 12. & 10. 23. — *Iob. 38.* — *Matt. 6. 27.* — *1. Cor. 10. 14. & 6. 18.* — *Io. 15. 15.* — *Gal. 4.* — *1. Tim. 1. 9.*

mendacibus, & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur. Quâ ergo ratione iusto lex non est posita, nisi quia iam detestatur lubens ea, quæ lege prohibentur, & fieri non licent sine peccato? Et hæc est iusti libertas, vt quicquid in principio recedens à servitute peccati per regulas legum, cum difficultate præstabat, indè ex frequentatis actibus crescēte habitu gratiæ, & virtutis, maximâ delectatione animi faciat, quicquid novit esse de voluntate divina. Quisquis ergo omnia promiscuè, & bonā & mala sibi licere credat; & perfecta filiorum Dei libertate caret, & de gremio veræ fidei deijcitur. Quis magis liber ipso Deo, qui omnia potest? Et tamen peccare non potest; quia peccatū non fortium, sed debilium est opus.

PROPOSITIO XI.

Sola Philosophia mundi, non potest verā fidem, aut Religionem præscribere.

AN demùm sanior mundi Philosophia, quâ demonstretur modus benè beateq; vivendi, veram fidem, & religionem infra sua lycæa definiet? Verùm præter quod varijs hominum opinionibus ventilatur, plebi difficilior est ipsâ fide; non enim datum est omnibus Corinthum appellere, vt Adagio fertur, neq;

neq; videtur tam paucis concedendum Dei beneficium, qui Salvator omnium hominum de omnium ſalute cogitat, ſicut Philoſophiâ conceditur: Imò quæ ſupra naturam non evolat, à Theologia, fidei mendax oſtenditur, cùm ſapientia huius mundi ſtultitia ſit apud Deum: Quid enim evidentiùs olim Proclus & alij Philoſophantes eſſe perhibebant, quàm mundi, & motûs perennitatem? quid certiùs in ſimplici vnitate numerũ non poſſe diſtingui; divina & æterna cum humanis & temporaneis non convenire, vt mutuò prædicentur: ſemel corruptum non poſſe idem numero reparari. Corpus idem in pluribus locis eſſe non poſſe; neq; penetrare aliud corpus; neq; accidentia proprio carere ſubiecto, & alia huius generis; quibus fidei Theologia reſpondet, & ſuſtinet; Tempus & mundum à Deo definitum certis principij, & finis limitibus: in vnitate ſimplicis Deitatis Perſonarum Trinitatẽ diſtingui: Verbum æternum factum eſſe carnem; & immortalem Deum ſe morti ſubiecisse: & mortuum indè reſurrexiſſe; ſpem reſurgendi omnibus hominibus inditam: Vnum Chriſti corpus ſub diſſitis panis & vini ſpeciebus credi contentum, quod & clauſa illæſo penetraverit tractu; & in Euchariſtia abſcon-

1.Tim. 4. 10.

1.Cor. 3. 19.

ditum

ditum Accidentia conſervet ſine panis & vini ſubſtantia; & ſuã corporis quantitatem in extenſis partibus obtineat, & huiuſmodi alia docet, quæ omnem Philoſophiæ rationem tranſcendit, ſed tamen Philoſophiæ nodos omẽs reſolvit.
Io.6.65. Quòd ſi ad multorum captum, plurima non ſint, non tamen evincitur; talia fide non eſſe, quæ divinitùs eſſe poſſint, cùm nullam contradictionem involvãt; niſi fortè penes incredulos & imperitos,
Io.8.37. quibus dictum eſt: Qui poteſt capere,
Matt.11. capiat. Sermo meus non capit in vobis.
29. Tandem præſtat brevius, certius, & facilius ad felicitatem etiam temporalem iter, divina fides; quàm abundare præceptis, inſtitutiſq; Philoſophiæ, cuius
Iac.1. rei veritas, factores verbi iuxta rectam
22. fidem, non auditores tantùm exquirit.
Non ergo Religionem veram profiten-
Rom.1. tur, qui ſolo naturalis Philoſophiæ lumine ad Deum ferri præſumunt.

PROPOSITIO XII.

Multipliciter errare contingit, ſed Spiritus veritatis eſt vnus.

TAndem quis recenſere poſſit errorũ abominabilium numerum, qui ab vno veritatis Spiritu dimotus exuberat?
Pſ.39. Propterea David dolens dicebat: Quoniam circumdederunt me mala, quorum

non eſt numerus; ſed cùm beatum ſciret
virum, qui non reſpexit in vanitates, &
inſanias falſas; ſubtexuit: ſe ſatis ſuis
comprehenſum iniquitatibus; & non
potuit, vt videret. Quot hæreſes ad ſua
dumtaxat tempora Irenæus enumerat?
Vt ſi ad hæc vſq; tempora congeſſiſſet,
non eſſet catalogo modus. Quia nimi-
rum ex vna veritate deviare infinitis
propemodum mæandris, anfractibus,
& ambagibus contingere poteſt; quia
in ente infinitæ ſunt negationes, & ca-
rentiæ; quas ſi de illo ratio prædicare
audeat, tot mendacijs obvolvitur. Quin
imò veritates ipſæ ſecundùm enuntiati-
ones humanas, in infinitum ſunt multi-
plicabiles; neq; omnium ingeniorum
connexiones poſſibiles poſſunt reperiri
ſcriptæ, & explicitè in ſacris literis ex-
preſſæ; quare ait Eccleſiaſtes: Faciendi *Eccl.12.*
plures libros, nullus eſt finis; & Ioan-
nes: Sunt autem & alia multa, quæ fe- *Io.21.*
cit Ieſus; quæ ſi ſcribantur per ſingula, *25.*
nec ipſum arbitror mundum capere poſ-
ſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. Cùm
igitur proceſſu temporum novi ſemper,
& novi hominum intellectus, non con-
tenti ſolis veritatibus ſcriptis, alia, &
alia enuntient; quis ponatur iudex, vt
diſtinguat in fide falſum à vero? Si lu-
men naturale ſingulorum, quod ſignatũ

eſt

Ps. 4.7. eſt à Deo ſuper nos; vtiq; omnes mundi religiones reprobaret; quia lumine naturali Circumciſionis myſterium, neq; in Turcis, neq; in Hebræis approbari poteſt. Et quod in Idololatris evidenter arguit ſuperſtitionē, in Religione Chriſtiana Incarnationis Arcanum intelligere nequit. Si ergo bonum tantum in mundo datū eſt à Deo, neq; eſt abſconditum hominibus; Dei providentiâ fiet, vt in mundo ſit quæſtionum, & Controverſiarum Iudex, qui & de non ſcriptis ſecundùm vniverſaliora fidei principia decernat. Nonnè & ita Apoſtolorum tempore factum eſt, vt ſuborta à Iudæis

Act. 15. quæſtione de Moſaicæ legis obſervantia retinenda à fidelibus, non repertæ ſunt ſcripturæ manifeſtè hanc litem dirimētes, ſed convenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc? Quare & novæ difficultates non poſſunt & nunc ſuboriri, quibus decidēdis ſola Biblia mortua non ſufficiant, ſed requiratur Spiritus vivus veritatis? Ideò ait Chriſtus:

Io. 16. 12. Adhuc multa habeo vobis diceere; ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatē. Si hoc ſolis Apoſtolis datum; quare non omnem veritatem ſcripſerunt, ſed multa ſuis ſucceſſoribus in Eccleſia reliquerunt decidenda

denda? si autem & nunc Apostolorum successoribus datur idem spiritus veritatis, qui unam informat Ecclesiam, an loquetur, quæ audiet, per omnem Christianorum multitudinem? si id esset, omnes idem sentirent; sed ne multitudo oberret, oportet ut omnes ad unum veritatis Iudicem, & Magistrum se referant, cui spiritus veritatis assistat, neque sit invisibilis, & ignotus, sed in Ecclesia Christi manifestus, & notus; sicut fuerunt Petrus, & Paulus, cæteriq; Apostoli, & seniores, qui Spiritu Sancto abundabant ad instruendam Ecclesiam. Ad rem facit Ecclesiastes dicens: verba sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno. His amplius fili mi, ne requiras Quia videlicet nunquam quiesceres, si pluribus Magistris attenderes, qui se ad Pastorem vnum non referant. *Eccl.12.*

CONCLVSIO

IGitur, Philopiste, cupis errorum, & superstitionum vinculis liberari. Quis enim decipi velit? Propterea ab Atheismo abhorres, ne sis omniũ Religionum expers (p.1.) superstitionem omnem odisti, ne misceas sacra profanis. (p.2.) Hinc Deum vnum

G colere

colere gaudes, ſed debito cultu; (p.3.) Nec vitium in eo notas, quem ſuper omnia perfectiſſimum adoras. (p. 4.) Quid cum Mahometanis? (p. 5.) expedias paucis. Dati ſunt in interitum carnis; Veneri & Marti velificant; eo quòd maximè humanum eſt, diſcurrere, nefas habent. Interea nondum, quo te vertas, intelligis? Chriſti religionem hæreſum diſſidijs infectam non amas. (p. 6.) Quid ſi immaculatam invenias? At ſortem cum Idololatris communem abominaris. (p. 7.) Aſſentior & ipſe. Rurſus quid Animam tuam facis? ſi Religio, & fides eſt propter ipſius bonum; magnum quid eſt, ne pereat unâ cum vitæ mortalis periodo. (p. 8.) Cave igitur ne te minoris facias, quàm tot hominum perennis Religio. Liber es. (p. 9.) libertate potens, ſi tantum in Bonum utaris ipsâ; ſi & in malum; liber, ſed infirmus. Quid eâ facies? Omnia tibi licere arbitraberis? experimento confunderis. (p. 10.) Stoicè vitam inſtitues, aut alicui alteri Philoſophorum Choryphæo teſſeram trades? (p. 11.) Nullius eris Eccleſiæ; ſed neq minus errare continget, quàm varijs Religionis ſectis adcribi. (p. 12. Quid ergò? An fors eſt natalium Religio, an
electi

electionis; si natalium, num in ea, qua nati sumus, necesse erit & vivere, ac mori? esset ergò multis pereundi necessitas, quod Divinæ Providentiæ non convenit. Si igitur electionis est, quâ sorte destinantur tot parvuli ad mortem antequam eligere possint? Quare dicitur; non vos elegistis me, sed ego elegi vos? O sine, Philopiste, sine de Parvulis Divinæ dispositionis Arcanum; nam melius Deus, quàm nos intelligit, quid de illis fieri expediat. Et dum credis, quod Deus, tanquam primus Motor, & Naturæ, & Gratiæ, præcedit omnibus suis operibus, scias, quòd ejus Præelectioni resistere potes, quando quod justum, & rectum est, non eligis credere adultus; & juxta fidem rectam, & lumen conscientiæ, operari non curas.

Io. 15. 16.

ARGVMENTVM IV.

De veræ Fidei & Religionis electione.

PROPOSITIO I.

Author eligit Christi Fidem.

Eia, quid amplius moror? cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi, quæ erant parvuli ut electione ipsa Religionem, & Fidem amplectar. Ego igitur Philopiste,

1. Cor. 13. 11.

ſte, de conſcientia pura, & corde non ficto, Ieſu Chriſti Fidem profiteor; Eandemq; Fidei Religionem, qum olim antiqui Patriarchæ varijs ſignis prædemonſtrârunt; quam Prophetæ vaticinati ſunt, quam vetus Teſtamentum pluribus figuris præſignavit; quam Chriſtus Deus, & Homo, verbis, & prodigijs edocuit; quam Apoſtoli receperunt; quam miraculis & prædicatione in mundum vniverſum invexerunt; quam profeſſi ſunt Sancti Patres; quam Oecumenica Eccleſiæ concilia ſanxerunt, quam Provinciales Epiſcoporum Synodus confirmârunt, quam Doctorum ſcripta illuſtrârunt; quam Myriades Martyrum in tormentis teſtati ſunt; quam novi Teſtamenti vulgata Biblia declarant; quam tot Confeſſores, tot Virgines, tot Anachoretæ, tot Monachi per ſeptemdecem ferè ſæcula innocentis vitæ Methodo
2Cor.6. ſervant, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in jejunijs, in caſtitate &c. In cujus obſequium tot Reges & Principes terræ, tot Populi, & Nationes intellectum captivant; Hanc ipſam, in qua Dei gratia natus ſum; in qua Dei beneficio educatus ſum; In qua

Dei

Dei fretus auxilio vivere, & mori confido. quam millies elegi, quam nunquam, vel in maximis tentationum ærumnis, deserui; Hanc ego fidem, quam Catholica, & Apostolica Ecclesia tenet; hanc ipsam eligo, & teneo. Paratus summa vitæ discrimina pro ejus veritate subire; & ad hanc Electionem non me prædicta movent, quæ scirem technis, & malitiæ astibus illudere; sed veritatem dico in Christo, non mentior, quoniam hæc est vna, & vera fides, vna & vera Religio, vna & vera Ecclesia fidelium, Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.

Rom. 9. 1.

1. Tim. 3. 15.

PROPOSITIO II.

Electæ Fidei medium infallibile.

NE tamen ipsâ electione fidei mihi contingat errare, eligo etiam medium infallibile, in quo fidem securius profiteor; sicut enim qui studet alicui scientiæ, vel arti, non solum adhibet libros, qui talem doceant scientiam, vel artem, sed eligit etiam sibi peritum Magistrum, cujus ductu confidentiùs studet, & difficultatibus occurrentibus illum consulit, ejusq; sese censuræ subijcit; sine ipso autem multis exponitur errandi periculis, maximè verò si de suo tantùm præsumat ingenio: Ita

ego Divinæ fidei operam navans, non contentus ſcripturis ſacris, & Patrum documentis, & Conciliorum codicibus, & ſacrorum Doctorum libris, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis; quia in his omnibus difficultates magnas reperire poſſum; ea omnia reponens in ſinu Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Magiſtrum Viſibilem, & viventem Chriſti Vicarium, & omnium Eccleſiarū, quæ in vniverſo ſunt Caput, mihi eligo ſummum Romanum Pontificem, Sancti Petri legitimum Succeſſorem, cujus authoritate fidem meam in conſpectu omnium populorum teneo; non aliter ſcripturas omnes Bibliorum, Conciliorum, Doctorum, Hiſtoriarum intelligens, & recipiens, quàm eo ſenſu, intelligentiâ, modò, quo prædicta Sacroſancta Eccleſia docet, & recipit ſub Paſtore vno militans; ad quem omnes alij Eccleſiæ Paſtores referuntur, tanquam ad ſupremum, & viſibile caput. Hæc enim eſt infallibilis regula meæ fidei, ut credens Sanctam Eccleſiam Catholicam, dum teneo Viſibilē, mihiq; congruum Paſtorem ſequor, credo inviſibili Spiritus Sancti aſſiſtentiâ ipſum in Eccleſia Dei regi, ut oves ſibi commiſſas authoritate, & doctrinâ gubernet, & paſcat. Idcircò, etiamſi

ego circa credibilia errare possim, vel ignorantiâ, vel cordis perturbatione; me tamen in omnibus meis, & dictis, & scriptis, & cogitatibus subijciens huic tanto Ecclesiæ Magistro, qui Spiritûs Sancti gratiâ regitur, in hæresim non possum incidere; cùm tali meâ voluntariâ subjectione sim semper paratus obedire in omnibus, & per omnia meo Ecclesiæ veræ Pastori; & advertens quæ à prædicta Ecclesia proponuntur credenda; ea omnia teneam, credam, tuear, atq; defendam. Hæresis enim est error circa fidem cum malitiosa intellectûs pertinacia; Quæ quidem pertinax animi malitia in hoc consistit, ut quisquam velit impugnare veritatem, quam novit in vera Dei Ecclesia proponi credendam; cũ ego igitur hanc Ecclesiam Catholicam sub vno Pontifice Romano, pro tempore Petri successore in Spiritu Sancto congregatam, veram Dei, & Christi viventis Ecclesiam esse confitear, quicquid ipsa mihi credendum proponit cùm semper crediderim, credam, & credere velim, & si quid erro, vel ignoro, in ipsius judicium me referam, ut illi paream; Profectò sequitur, quòd errare possim, nescire possim, sed hæreticus esse, nisi voluntate meâ, non possim.

PRO-

PROPOSITIO III.

Irrisionis Confutatio.

AT irrides electionem meam, Philopiste, quòd tandem Romanista prodeam in scenam; quòd Papista in spectaculum veniam? verum dic, sodes, Tu quis es? Quem electione tuâ in fide sequeris? vivum, an mortuum? Ne
Luc. 9. 26. pudeat Professionis electæ; nam veritas dicit: qui me erubuerit, & meos sermones; hunc filius hominis erubescet. Aliquem ergo Fidei Doctorem sequeris, an nullum? si nullum: vnde habes fidem, quæ est ex auditu? An Atheista es? omnium ferè ore explodendus. An te i-
Rom. 10 17. psum sequeris? vnde literas scis, nisi ab alio didiceris? si alium sequeris prode, Christum tenes, an alium ReligionisAuthorem? Numquid tibi loquitur Deus, aut Christus, & vocem ejus audis, ut quid credendum sit, certò teneas? si tanto privilegio gaudes, tecum non disceptabo ampliùs. In tuto es; ab alijs pendere non debes, ut veritatem sequaris. Sed cave illusionem Diaboli, qui transfigu-
2. *Cor.* 11. 14. rat se in Angelum lucis. Contingere fortè potest, vt inter tot millena hominum aliquis ingenio perspicatiore præditus, per se solis libris evolvendis disciplinam aliquam perfectè assequatur, ita & ex

mero

mero Dei dono, fides concedatur alicui per revelationem immediatam, veluti de Paulo sacræ paginæ testantur Sed pro multitudine sicut ad percipiendas artes, & scientias non solum opus est libris, sed multo magis Præceptore, qui viva voce doceat disciplinam, ejusq; difficultates omnes enodet; ita ad fidem, & Religionem capessendam, non soli sufficiunt libri, sed Magistro, & Instructore vti necesse est, ideòq; dixi: Quòd homo homini credere debet: si ergo tu sequeris Christum, & ego; si Evangelia tenes, & ego: sed nondum mihi fit sátis; quia nec Christus visibiliter iam multitudinem instruit; nec Evangelia scripta de se vltrò se nobis insinuant sine Prædicante; quid igitur? Lutherum sequeris, aut Calvinum, aut alium quemcunq; ex nouatoribus mortuis? sed nondum satis. Quia cum sit melior canis vivus Leone mortuo, quanto melior est mea conditio, qui sequens viventem Papam sim Papista Christianus, quàm tu Lutheranus, vel Caluinista? Si autem ex vivis hominem habes qui doceat; rogo, ille ad quem sese refert vltimò? Nam & ego fidem didici à Genitoribus, à Parocho, à Scholæ Magistro, ab Episcopis. Sed hi

Sap. 3. 14.
Gal. 1.
Eccl. 9. 4.

hi omnes ultimò ſe referunt ad vnum ſupremum Pontificem, à quo, ſi contingat errare, corrigantur, & ſi difficultates naſcantur, enodentur: Tuus verò Prædicans vivens, ad quem vltimò viventem ſe refert, tanquam ſupremum? ſi ad nullum; melior eſt mea ſors, qui tantum habeo Pontificem, à quo dependeo, quàm tua, qui privatum hominem ſequeris, arbitrio ſe ſuo regentem; ſi verò ad altiorem ſe ipſo Poteſtatem, & Magiſtrum Eccleſiæ tuæ ſe refert viſibilem; aut unus eſt, aut plures, ſi vnus quid habet ampliùs ſupra homines, vt tu debeas plus illi credere, quàm ego ſummo Pontifici? Hoc meus Papa plus habet, quòd eſt Petri Apoſtoli ſucceſſor, & vt talis à tot Populis, Regibus, Principibus, Nationibus, Eccleſiaſticis cognitus. Melior eſt ergò mea electio, quàm tua. Si verò plures. Cogita, quòd multò plures ſunt, qui cum vno Papa conſentiunt in Catholica Eccleſia, quàm ſint ſingulæ ſectarum Eccleſiæ, cum proprio illarum vel Authore, vel capite. Quomodocunq; ſit; ſicut me Romaniſtam vocas ex eo, quòd Romanum Epiſcopum ſupremum Eccleſiæ Caput viſibile teneo; ſi tuum caput in ſaxonia eſt, tu vocaberis ſaxoniſta; ſi alibi, vel Angliſta,

ſta, vel Geneviſta, vel alio modo. Quid nde? Quid ſpecioſiùs inter hæc nomina? An non & Petrus Romaniſta, qui ultimò ſedem Romæ poſuit; Nonne & Paulus Romaniſta, qui & cum Petro Roæ obijt, & de Romana fide potiùs fuuri præſcius, ſcripſerat ad Romanos di- *Rom.1.*
ens: Gratias ago Deo meo per Ieſũ Chri- 8.
um pro omnibus vobis; quia fides vera annuntiatur in vniuerſo mundo. mò ſicut Propagati fideles Orientalis cclesiæ ex Græcis Græciſtæ dici ex tali ethodo poſſent; ita oriundi omnes ab cleſia Latina, quæ eſt Romana (Latin enim adjacet Romæ) Romaniſtæ nnes dicentur. Cognoſcant ergò ovatores ex qua ortum habeant Eccle-, & eodem ſe ſignent nomine, cujus guam non erubeſcunt. Cæterùm ntificia dignitas cùm per electionem uribus ſucceſſivè contingat, non eſt ſee nomẽ, ſed officij; in quod cũ tot hoines per ſæcula ſuccedant & genere, & ctrinâ, & Patriâ, & ingenio differens, valde temerè omnes notantur ſupertionis, qui conſcientiâ ipſâ obligantur fidei cuſtodiam, & temporali poteſtanon habent quod timeant in promoa veritate. Quomodo ergò & æ omnes errant, & tuus vnus Luthe-

rus,autCalvinus non erravit? sed &Papæ nomen,primò etiam alijs Episcopis com mune fuit; ut nemini pudori esse possit si vnum sequens in Ecclesia Dei Pastor Pa,ma vocetur.

Ad Acatholicos.
ADMONITIO.

NVnc ergo, fratres, si non libente
saltem patientèr libellum hunc leg
te; in quo Spiridionis potiùs stylum
surpo, quàm velim Scholasticorum,
Controversistarum sapientiâ abundar
1.Cor.9. Cupio enim me vestrum omnium servi
19. & in vinculis esse pro vobis, & omnib
Gal.1.4 omnia factum, vt vos Christo lucri fac
1.Io.3. am. Si enim Christus semetipsum d
16. dit pro peccatis nostris, & animam
am pro nobis posuit, & nos debemus p
fratribus animas ponere. Quid eni
nosipsos, qui nullius sumus valoris, ta
ti facimus, vt recusemus & pati, & m
Rom.8. pro invicem, vt saluemur; cùm De
32. proprio filio suo non pepercerit, sed p
nobis omnibus tradidit illum. Hanc
go meam fidei, & Religionis electione
attentè considerate; & quas pro ea
tiones congeram, non disiunctim ta
tùm attendite, sed totum rei nexum
turè perpendite, dummodò ætern
vestr

vestræ salutis securitatem optetis. Hìc enim quædam adducam pro Christiana Religione vniuersim concludentia; quædam verò specialiter pro Catholica Ecclesia sub vno visibili capite militante; [u]t omnibus satisfaciam in exiguitate mearum virium. Legite, rogo; & si putatis vos ex conscientia in bona fide esse; [s]ciatis fratres, quòd ex fide vera, vera [p]rocedit charitas, charitas autem cùm [s]it patiens, rogabo, vt in me patientiam [h]abeatis, ut non in contentione, & æ[m]ulatione, sed supportantes invicem in [s]piritu, & veritate conjungamur. Si [q]uis verò his non contentus plura requi[r]at, sciat me esse paratum vt omnibus [s]cripto, verbo, factisq; satisfaciam. Si [a]utem alius alterius fidei, & Religionis Professione securiùs stare putat, quàm [e]go; abundet pietate, errantem demonstret, notet verbo, vel scripto meos errores, vt corrigam; sed meliùs conversatione me suâ instruat. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est fides mea, non in multiloquio, sed in silentio ipso, & bona conscientia fructificare; quam quidam repellentes (ait Apostolus) circa fidem naufragaverunt: [P]ropterea ad veræ fidei judicium, & ele[c]tionem ne accedatis animo perturbato,

1. Cor. 13 *Rom. 13 13.* *1. Tim. 1 19.*

& con-

& conſcientiâ peccatis onuſtâ; ſed ocu-
lo ſimplici vt totum corpus ſit lucidum
mente apathicâ, vt meliora eligantur
diaphanâ morum innocentiâ, ne lumen
veritatis ingredi impediatur. Sicut enim
ego in electa mihi fide penitùs me Catho-
licæ Eccleſiæ judicio ſubmitto, vt ben
credam: Ita in ijs, in quibus erro, omni-
um me cenſuræ ſubijcio, promittens co-
ram Deo, & hominibus emendare i
meliùs, in quo ignoranter peccare po
ſum dummodo inveniam, qui errorem
demonſtrare dignetur.

PROPOSITIO IV.

Electæ fidei probatio ex Monarchia Eccleſiaſtica.

NE igitur electam mihi fidem quis im-
Tit.1.9. probet, quaſi impotentem exhorta
in doctrina ſana, & eos qui contradic
Eccl. 5. arguere; ſic defendo, Deus vnus, q
5. prouidentiâ ſuâ omnia gubernat, & ſap
Iudith.9 entiâ ſuâ attingit à fine vſq; ad fine
5. fortiter, & diſponit omnia ſuaviter;
Sap. 8. cut inviſibilia, & viſibilia omnia ad
1. vnum reducuntur, à quo ſunt, & depe
dent; ita mundi totius regimen ad
Pſ.1.18. num aliquod in vno quoq; genere ord
91. nat; vt ordinatione ſuâ perſeverent,
regantur inferiora per ſuperiora. H

pacto

pacto ex vno mobili est omnium Cælorum, & Motuum mensura; ex vno sole Anni, & temporum vices, ex vna luna mensium phases; & inter Animalia vnus homo dominium super cætera obtinuit. Tanto exemplo homines, qui à principio alij alijs se prostituebant, propter mores hominibus indignos, quibus comparati jumentis insipientibus, & similes illis facti sortiebantur cum cæteris brutis, vt à melioribus regi deberent; Inde præpotentes à sæculo viribus vsurparunt tyrannidem, qua postmodum di visæ gentes in Nationes, singulæ sibi reges, & principes successione, vel electione constituerunt, vt populi multitudo in Republica qualibet ab vno melius gubernaretur. Inde jure gentium bellorum origo, in quo exercitus supremo aliquo Duce reguntur; sicut & quævis Domus à suo vno Patrefamilias; quivis grex ab vno Pastore, quævis navis ab vno Gubernatore, & sic de cæteris. Ita pariter quælibet Natio Religionis suæ aliquem supremum constituit, à quo cæteri dependeant. Quare hoc ipsum & Christus non fecerit, vt cum membris visibilibus nō esset & visibile caput? & sicut fuit in principio Ecclesiæ, sic sit vsq; ad consummationes sæculorum? Cùm ergò in

Gen. 1. 28.

Ps. 48. 13.

Gen. 10. 8.

Gen. 10.

Christiana Republica ex Divina dispensatione non sit tam visibile caput, à pluribus adeo cognitum pro supremo Sacerdote, & Petri successore, quàm Romanus Pontifex, quid si ego ipsum eligo pro primo, & summo fidei Christianæ Magistro, non meliùs eligam, quàm cæteri, vel qui caput nullum reperiunt, vel qui ad diversa se referunt, vel qui privatum aliquem hominem, vel Principem minùs cognitum, & sæcularem constituant? Sed dices, cùm ille sit homo potest & errare, & insanire. Et hoc ipsum de singulis. Sed hoc gratis dato, & non concesso; annon & Imperator errare potest; & cæteri Reges, & Principes? An propterea illorum determinationibus populi patienter non debent stare? neq; inde eluctantur, nisi rebellionis rei haberi velint; quasi ex errato aliquo legitimam dignitatem amiserint. Considerandúm est autem quòd quædam fidei Christianæ mysteria à suis primordijs per tot sæcula, & Concilia adeo sunt promulgata, vt hæreditariâ traditione, & scripturis in posteros receptâ doceantur à singulis Dei viventis Ecclesijs sine supremi capitis alia decisione, nisi ut per tempora defendantur eâdem illæsâ, quando pravorum hominum temerario

nisu

nisu peterentur. Alia autem, temporum diuturnitate, & hominum insatiabili speculatione dum nova excogitant, in dies manifestantur, sicut & Apostolorum tempore, quibus Authoritas requiritur, vt obscura declaret, dubia decidat &c. Quod si in Ecclesia Christi deesset, imperfectior esset ipsis terræ principatibus. Dei verò perfecta sunt opera; cuius Prouidentiâ, & consilio factum est, ut Christi promissa Petro facta complerentur, quod solus Petri successor inter tot Episcopos etiam temporali regno potiretur, ad coërcendos quorundam insolentium impetus, qui magis gladio sæculi compescuntur, quàm spirituali Anathemate. Quod si ad hæc usque tempora Ecclesiæ luminaria stetissent sub modio, & non super candelabrum affulsissent; quoniam refriguit charitas multorum, & abundavit iniquitas, & multitudinis incremento crescit confusionis murmur; partim Principum potestate, partim libertate populi, partim licentiâ carnis; lux fidei propemodum fuisset extincta. Quis ergo diuinam prouidentiam non miretur in Ecclesiæ promotione juxta Christi, & scripturarum repromissiones, vt qui omnium erant Peripsemata, facti sint Principes terræ? Pontifex ergo supremus,

Act. 10. *Deut. 32. 4.* *Matth. 16. 18. &c.* *Matth. 5. 15.* *Id. 24. 12.* *Act. 6. 1*

premus, vt homo, errare poteſt, poteſt &
damnari; vt Princeps temporalis ſicut a-
lij Principes varia facere poteſt, quæ non
placeant; vt caput viſibile Eccleſiæ Dei,
credimus, quod errare non poteſt; quia
Matth. Eccleſiæ ſuæ aſſiſtentiam æternam Chri-
28. 20. ſtus promiſit: & moraliter loquendo
Io. 14. errare non poteſt; quia ſi quid diceret
16. contra Myſteria toti Eccleſiæ manifeſta,
cum omnium membrorum oculos in ſe
habeat conuerſos, non vnum reperiret
Galat. 2 Paulum, qui eum reprehenderet, ſed
quotquot ſunt in Orbe Epiſcopi, quot
ſunt Regulares, quot item ſunt Catholi-
corum ordines: In faciem reſiſterent.
Et ſi in errato perſiſteret, deſineret eſſe
caput Myſtici ſui corporis, quia à mem-
bris ſuis non cognoſceretur, vt tale, cum
ſic defeciſſet à fide. In rebus verò ob-
ſcuris, & indeciſis, cum prius multa Do-
ctorum, & Congregationum ventilatio-
ne examinentur, ſi inde matura delibera-
tione facta decernat, authoritativè hoc
ita eſſe, & non aliter in bonum ſemper
gregis vniuerſalis, quare non ſtandum
eſt illi? Quare, ſi ab Eccleſiæ Catholicæ
ordinibus recipitur, ab aliquo particulari
carpi debet, quod hominum hinc, inde
ſententijs eſt varium? An ſanius eſt tu-
um judicium, de quo nulla ſcriptura e-
ſtat,

ſtat, quam ſummi Pontificis, pro quo militant tot authoritates, & rationes? & ſi lex à ſæculi Principe in regno recepta vim habet, quare ſummi Pontificis declaratio circa fidem, quæ in Eccleſia recipitur, condemnatur? Tandem in rebus circa fidem dubijs, & occurrentibus pro Eccleſiæ conſervatione difficultatibus vel Iudicem habes, à quo non detur appellatio, vel non; ſi habes, ne detur proceſſus in infinitum, vel ejus ſententijs ſtas, & credis, vel non. Si credis, oſtende mihi ſcripturis, vel Concilijs, vel alijs argumentis, quod ille tuus Iudex ſit legitimus, ſicut fit de ſummo Pontifice Romano, per tot ſæcula Concilijs, & hominum obſequijs ad hæc uſq; tempora approbato, & recepto; ſi verò non habes, neq; alteri credis, ſed proprij judicij es, tanquam hæreticus poſt binam correptionem vitandus es; Dicit enim Apoſtolus Tito: Deuita, ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejusmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus. Patet hinc ergò electionem fidei meam eſſe, Tuâ meliorem, & magis tutam, cùm non proprio regar judicio, ſed Paſtorem ſequar, qui in Chriſti Eccleſia eſt magis communis, & manifeſtus.

Tit. 3. 10.

PROPOSITIO V.

Concilia non sunt sine Authoritate Papæ.

SEd instabis, quòd potius tibi Concilium in Iudicem eligis, quàm Papam. Optimum verè Tribunal ad fidei controversias dirimendas accommodum; nam vbi multa consilia, ibi salus. Et ab Ecclesiæ origine sæpè pro gravissimis causis apertum. Sed Lutherus ne haberet, quò duceretur, nisi proprio judicio, & Concilia posse errare pronuntiat; Quid ergo? & tu ex illis es, qui id asserant? Igitur tu tibi magis sapis, quàm omnia Concilia, omnes Doctores, omnes Pontifices, totum corpus Ecclesiæ; quod est quoddam genus amentiæ. Si autem Concilium admittis; ex quibus vis ipsum constare; ex omnibus hominibus Mundi, an ex Christianis? sed turpe Paulus dijudicat judicio contendere, & hoc apud infideles, dicens Corinthijs: Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia? Nec competit Christianis de ijs, qui foris sunt, judicare, quantò minus infidelibus iudicare non competet de Christianis? Sanè sicut ridiculum esset, si quis volens Turcarum sectam amplecti, Christianorum Ecclesiam consuleret, ita pro veritate fidei

Prov. 24. 6.

1 *Cor.* 6. 13.

Ibid. 5.

Christianæ concludenda, populos omnes, etiam non Christianos ad Concilium vocare, vt ferāt suffragia, res esset cachinno explodenda. Non ergo debet judicare de rebus Ecclesiæ, nisi Ecclesia. Nam animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia: & ipse à nemine judicatur. Soli ergo Christiani ad Concilia vocandi sunt. Sed rursus ad talia Concilia vocandi sunt omnes Christiani, an aliqui tantum, sapientiores, & selectiores? Quocunq; modo hoc sit, non deerit illis Papa dignitate, & authoritate inter Christianos præcipuus; Quare esset excludendus qui defacto vel per se, vel per alios Concilijs vniuersalibus præfuit? Nunc in tanto Concilio, & nondum viso, ad suffragia deveniant omnes Christianâ professione congregati; & vbi plura sunt suffragia, ibi sit veritas decisiuè tenenda; Nonne plura suffragia militabunt pro summo Pontifice? Defacto enim & plures populi Christiani, & selectiora Ecclesiæ membra partes eius tuentur, quàm Ecclesiæ aut Lutheri, aut Caluini, aut Anabaptistarum, aut cuiuscunq; Reformatoris suffragari velint. Si autem

Ibid. c. 2 12.

ſicuti conſueuit, Concilia Oecumenica
Matth. fiunt ex ſelectis Eccleſiæ Dei capitibus,
16. 18. ſicut Petrus primatum habuit inter Apoſtolos, ita ſucceſſor eius inter Epiſcopos, reliquosq; Eccleſiæ Antiſtites, præeſſe ſuo iure debebit. Nunc dico; numquid ſemper debet Concilium apertum ſtare, vt ſatisfiat hominum difficultatibus? & quando non extat actuale Concilium quis convocare debet, quis debet enodare difficultates ipſas in ſcriptis Concilijs occurrentes? Nonne ad priora redimus? Ecce pro me vniuerſale Concilium ſtat ſemper apertum: Caput ſupremum viſibile Papa, cum omnibus ſuis Congregationibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Theologis, vniuerſo Clero Regulari, & ſæculari conſentientibus, vt ſi quid falſi contra fidem decerneret, vel immutaret, impoſſibile ſit quod omnium, vel plurium horum ſapientiâ non deprehenderetur; Quod ſi non plurium, ſed alicuius tantùm vel Doctoris, vel Eccleſiæ ſenſu, falſitatis redarguitur, qui ſic faciat, manifeſtè à Catholica Eccleſia ſui Iudicii proprio ſchiſmate deficit.

PROPOSITIO VI.

Confirmatiò electionis ex legis diuinæ perfectione; & Conſiliis.

Electio

ELectio pariter meæ Catholicæ Fidei confirmatur à perfectione legis Diuinæ, Consiliorum Christi, & legis Ecclesiasticæ; quæ omnia vim directiuam habent remouendi hominem à concupiscentia carnis, & à concupiscentia oculorum, & à superbia vitæ; scilicet ab omni eo quod est in mundo, & convertendi ipsum ad Deum. Et primo lex Christi præcepta Decalogi compendio redigens, sic se habet. Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: Hoc est maximum, & primum mandatum; secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Et scribæ approbanti Christi responsum: (Bene, Magister, in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis,) Quid Iesus respondit? videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei. Rursus, vt ad tantam divini amoris perfectionem homines dirigeret Christus Dominus,

1. Io. 2. 16.

Matth. 22. 36.

Marc. 12. 33.

quæ

quæ media cælestia in Euangeliis submi-
nistrat? Ad Spiritum paupertatis docet,
vt affectum cordis à rebus extrinsecis,
Matt:5. 3. tollat & ad Deum rapiat; dicens: Bea-
ti Pauperes spiritu, quoniam ipsorum est
regnum cælorum: & alibi: Qui non
Luc. 14. 33. renuntiat omnibus, quæ possidet, non
potest meus esse discipulus: Et Adole-
Matth. 19. 20. scenti qui Diuina præcepta Decalogi se
à Iuventute sua custodisse profitebatur,
cum interrogauerit: Quid adhuc mihi
deest? ait illi Iesus. Si vis perfectus
esse, vade, & vende, quæ habes, & da
pauperibus, & habebis thesaurum in cæ-
lo: & veni sequere me; & Discipulis,
qui reliquerant omnia propter Christum,
ad prædicandum euntibus dicebat: No-
Id. 10. 9 lite possidere aurum, neq; argentum, neq;
pecuniam in zonis vestris, non peram
in via, neq; duas tunicas, neq; calceamen-
ta, neq; virgam. Et meritum statuens iis,
qui propter Deum summè diligendum
iuxta cuiusq; cordis mensuram aliquid
relinquit, dixit: Et omnis qui reliquerit
domum, vel fratres, aut sorores, aut Pa-
trem, aut Matrem, aut Vxorem, aut filios,
Matth. 19. 29. aut agros propter nomen meum, centu-
plum accipiet, & vitam æternam possi-
debit. Vt homines spirituales reddat,
carnales voluptates infra vnius vxoris
legi-

legitimum, & indiſſolubilem thorum coercet, ſicut fuit à principio; Nam pluri- *Gen. 4. 19.*
um vxorum author fuit Lamech, qui accepit duas vxores. Chriſtus verò inquit: *Matt. 5 27.*
Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœcaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo; & paulò poſt: *V. 32.* Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Et alibi: Propter hoc relinquet homo Patrem *Matth. 19.* ſuum, & Matrem, & adhærebit ad vxorem ſuam, & erunt duo in carne vna; *Marc. 10.* Itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro: Et interpres Chriſti Paulus, reliqvum eſt, *1. Cor. 5.* inquit, & qui habent vxores, tanquã non *1. Cor. 6.* habentes, ſint. Et contra fornicarios lo- *& c. 7.* quens, ait: An neſcitis quoniã qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? Fugite fornicationem. hoc inde ſuadens quòd corpora noſtra ſint membra Chriſti, & templum Spiritus Sancti; tollens ergò membra Chriſti faciam membra *1. Tim. 1* meretricis? hoc vtiq; Chriſtianis non conceditur, quibus cum fornicatione omnis immunditia carnis, non modo opere cunſũmato, ſed etiam moroſæ delectationis interdicitur, vt ſint ſancti corde,

de, & verbis, & opere. Vnde ad Ephe-
Eph.5.3. ſios; Fornicatio autem, & omnis im-
munditia, aut avaritia, nec nominetur in
vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitudo,
aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad
rem non pertinet; ſed magis gratiarum
actio. Hoc enim ſcitote intelligentes,
quòd omnis fornicator, aut immundus,
aut avarus, quod eſt Idolorum ſervitus,
non habet hæreditatem in regno Chri-
ſti, & Dei. Vlteriùs verò, ut perfectio-
nis amatores Deo liberiùs vacent, do-
cet conſilium cælibatûs; vt liberâ ele-
1.Cor. 7 ctione non modo coniuges ex mutuo
5. conſenſu ad tempus abſtinere fructuosè
poſſint, ut orationi vacent; ſed & pro-
pter Deum ex eodem mutuo conſenſu
thoro ſeparari; & qui vxorem non ha-
bent, non ducere, & perpetuam profite-
ri caſtitatem. Ideo ait Chriſtus: Sunt
Matth. eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt pro-
19.29. pter regnum cælorum. Sed; non o-
mnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus
datum eſt. Et vas electionis: Dico au-
1.Cor.7. tem non nuptis, & viduis; bonum eſt il-
lis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego; & in-
fra: De Virginibus autem præceptum
Domini non habeo, conſilium autem
do &c. demonſtrans qualiter præferen-
da ſit virginitas Matrimonio; non vt
laque-

laqueum iniiciat, ſed ut conſulat id, quod honeſtum eſt, & facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi; nam mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu; 3tio tandem ut homo de ſe Deo perfectum holocauſtum offerat, docet Christus obedientiam dicens: Deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. & hanc quidem obedientiam methodicè ſcripturis docemur; vt primo Deo ſit obediendum, eiusq; præceptis. Quamobrem Principibus Synagogæ prohibentibus Petrum, & Ioannem, ne omnino loquerentur, & docerent in nomine Ieſu: Petrus verò, & Ioannes reſpondentes dixerunt ad eos: Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate: non enim poſſumus, quæ vidimus, & audivimus non loqui. 2do. Sanctæ eccleſiæ præceptis; æqvum eſt enim, vt oves Paſtoris vocem audiant, & eum ſequantur; propterea Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus dictum eſt: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit; qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me: 3tio Mandatis Principum, & ſuperiorum omnium non repugnantibus Deo, & ſpiritui;

Io. 6. 38. *Act. 4. 10.* *Luc. 10. 16.*

hoc

hoc ſcilicet ordine, vt ſublimiores, & coniunctiores præferamus minus ſublimibus, minusq; coniunctis: ideo inquit
Rom.13 S. Paulus: Omnis anima poteſtatibus
1. ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Et proſequens oſtendere qualiter Principes non ſint timori boni operis, ſed mali, cum ſint Dei miniſtri in bonum; timendi ab iis, qui male agunt, non enim ſine cauſa gladium portant, ideo (ait) neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcienti-
n.7. am: & inde concludit: Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributũ, cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; & ad
Hebr.13 Hebræos: Obedite præpoſitis veſtris, &
17. ſubiacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris redditurі. & Petrus: Servi ſubditi eſtote in in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. 4to. Demùm propter Deum in omnibus ſeipſum, propriamq; voluntatem abnegare, & voluntariâ obligatione propter Chriſtum, qui pro nobis factus eſt obediens uſq; ad mortem, perfectam obedien-

bedientiam confiteri; & de hac perfe-
ctione ait Dominus: si quis vult post me *Matth.*
venire, abneget semetipsum, & tollat *16. 14.*
crucem suam, & sequatur me. Et alibi:
si quis veniat ad me, & non odit Patrem
suum, & matrem, & vxorem, & filios, &
fratres, & sorores, adhuc autem & ani- *Luc. 14.*
mam suam, non potest meus esse discipu- *26.*
lus; & qui non baiulat Crucem suam, &
venit post me, non potest meus esse di-
scipulus. Omnia enim propter Deum
sunt odio habenda, & fugienda, quate-
nus impediunt tendere in viam perfecti-
onis; quàm quis sibi ingredi elegerit; &
de hac via Magister noster homines eru-
diens, inquit: Intrate per angustam por- *Matth.*
tam, quia lata porta, & spatiosa via est, *7. 13.*
quæ ducit ad perditionem, & multi sunt
qui intrant per eam: quàm angusta por-
ta & arcta via est, quæ ducit ad vitam,
& pauci sunt, qui inveniunt eam! & pas-
sim in doctrina Evangelica huius viæ
angustiam demonstrat, ut securiùs no-
bis iter explanet ad Deum, cùm in lu-
ctu consolationem; saturitatem in fame, *Id. 5.*
& siti iustitiæ; beatitudinem in huius vi-
tæ miseriis fortiter sustinendis promit-
tit; Quid cogitatu perfectiùs, quàm ex
corde iniurias dimittere, non irasci,
inimicos diligere, non resistere malo, sed
vincere

vincere in bono malum; orare pro persequentibus, & calumniantibus, & bene facere his, qui oderunt nos? Quid sublimiùs, ut percutientibus præbeamus maxillam, volentibus tunicam nostram tollere, ne legitemus, sed dimittamus, & palliũ, abstineamus ab omni iuramento, ab omni verbo otioso, & hæc similis notæ opera naturam vincentia propter Deum, vt in humilitate, mansuetudine omniumq; virtutum exercitio Cælestis Patris perfectionem imitemur? Quæ quidem cum in nulla, vel secta, vel Religione adeo sublimia doceantur, vt conuertamur perfectissimè ad Deum, nisi in Catholica Ecclesia Christi magisterio erudita, non mirum sit, si præ reliquis omnibus Catholicam fidem, & Religionem tanquam meliorem mihi prudenter elegerim.

PROPOSITIO VII.

Legis Diuinæ, & Consiliorum obseruantia in Ecclesia Dei fidem Catholicam veram esse confirmat.

QVanquam verò in Catholica Ecclesia tam sublimia Christi præcepta, & consilia ab omnibus non seruentur, sed plures transgressione ipsâ, cùm sint filii lucis, imprudentiores fiant filiis sæculi

culi huius; nihilominùs ab æra Redemptionis noſtræ ad noſtram hanc tempeſtatem nunquam defuerunt, aut deſunt, qui omni ſtudio curauerint, & curent Euangelicam perfectionem ediſcere. Cuius rei veritas ſcripturarum & hiſtoriarum lectione in ſæculis tranſactis inſpicitur; experientiâ ipſâ ad præſens tempus elucet. Quomodo enim vixerint Apoſtoli, & Diſcipuli Domini; quomodo omnes, quos ſanctitatis titulo Eccleſia Romana imitandos nobis proponit, Martyres, Confeſſores, Virgines, Doctores, Anachoretas, Monachos; quotquot, inquam, in Eccleſiaſticis annalibus celebrantur, & approbantur ad Euangelicam formam vixiſſe; ſi quem præterit, non eum veritatis amantem, pigeat à ſacris intelligere hiſtoriis; inueniet enim de illis non minus prophetaſſe Gentium Apoſtolum, quàm de Sanctis veteris Teſtamenti ſcripſiſſe: Qui per fidem vi- *Hebr.* 11
cerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, ade- 33.
pti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum; extinxerunt impetum ignis; effugerunt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate; fortes facti ſunt in bello; caſtra verterunt exterorum; acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos: Alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes

tes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem: Alii verò ludibria, ac verbera experti, insuper, & vincula, & carceres; lapidati sunt; secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ; & hi omnes testimonio fidei probati. Vis similes nunc videre, qui animas suas tradiderunt pro Christo? Circumeas terrarum Orbem, & Ecclesiæ Catholicæ Ordines omnes considera; in quibus inuenies plurima sacrarum Virginum monasteria, quæ pro Christo Sponso nuptiarum voluptates renuerunt; plurima virorum cænobia, qui votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ voluntariè addicti, aut in eremis, & solitudinibus optimam cum Maria partem elegerunt in oratione, & silentio; ut SS. Benedicti, Romualdi, & Brunonis Discipuli; aut diversis pietatis operibus attendentes exemplo, & Doctrina pro Christo militant, vt Augustiniani, Franciscani, Carmelitæ, Iezuitæ, Clerici sæculares, & Regulares omnes in Cellulis, in Choris, in Pulpitis, in Cathedris, in Scholis, in

Xeno-

Xenodochijs, qui reliquerunt omnes diuitias, & gloriantur in paupertate; qui contempſerunt carnis illecebras, & jeiuniis, vigiliis, ciliciis, & pœnitentiis ſe macerant; qui renuntiauerunt ſuæ voluntati, & omni creaturæ in humilitate ſe ſubdunt; Quæ quidem & maiora cùm pro Chriſti gloria fieri à multis in Eccleſia Catholica conſtet, non tamen extra ipſam, quis Deum vivum non interpellet vt iuſtum Iudicem, & hanc eſſe eius veram Eccleſiam non fateatur, propter quem adeò religiosè allaborant tot hominum Ordines? Quod ſi vel ex his plures iuxta profeſſionem propriam à perfectione deficiant, non inde tamen fit, quin alii vota ſua non Domino reddant; & omnes vel quandoque non nôrint à profeſſione deſciſcere, quandoq; etiam in ipſam rurſus intendere. Verùm ſi mentem ad eos conuertimus, qui Religionis Chriſtianæ Reformatores haberi, & Euangelici dici volunt, ecce ſacrarum Virginum Monaſteria diruta; Religioſorum ordines eliminati, ſacroſanctæ votorum leges peſſumdatæ, Templorum cultus diuinus profanatus, ſacrilegæ Apoſtatis nuptiæ conceſſæ: vt Baccho, & Venere Martem in Eccleſiam concitantes, tum videantur de Fide triumphare,

Pſ. 21.

cum fædè carnis concupiſcentiis indulgent. An non vota Deo facta obligationem inducunt, vt ſeruentur, cum ho-
Leuit. minibus promiſſa non ſeruare turpiſſi-
27. mum habeatur? In Leuitico vtiq; vota comprobantur, ſicut, & in numeris, vt
Num. 6. Deo fiant, & ſoluantur; quare adhor-
Pſ. 75. tatur Pſaltes canens; vouete, & reddite
12. Domino; & Eccleſiaſtes: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet
Eccl. 5. 3 enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio: ſed quodcunq; voueris, redde: multoq; meliùs eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. Si ergò quis voveat perpetuam Caſtitatem Deo, quæ ita placet Deo, non debeat ſeruare? Quid ergò præcipuum Reformatorum Caput Lutherus, cùm Religionis Auguſtinianæ vinculis eſſet ſuâ voluntate obſtrictus, & obedientiam fregit, citatus Romam non veniens, & caſtitatem fædavit, ſacrilegam vxorem ex Monaſterio ereptam publicè ducens; & abjecto cucullo, non ſolum exemplo, ſed ſcripto docuit, apoſtatare quàm plurimos, vt fidei ſtragulo, vxoris lenocinium obtegerent? Hiccine novus eſt Eccleſiæ reformatæ vigor? Hæccine nova Evangelicæ prædicationis puritas? Iejunia minuere, rei vacare vxoriæ, jugum ſanctiſſimarum le-
gum

legum excutere, ſuum ſibi morem gerere, nemini ſubeſſe, præeſſe alijs, ſcurriliter blaterare, fætidè obloqui, & ab arctâ Euangelij viâ impunè ſpatiari? Et hunc Spiritu Sancto duci putem ad reformandam Eccleſiam nullis miraculis, nouis ſcripturarum interpretationibus, qui ſecundum ſcripturas non vixit? Ah cogitent ſectarij & quotquot poſt Lutherum turbauerunt Eccleſiam, quod non reformationis zelo, ſed Relaxationis nefario ſpiritu ducebantur, vt plebem Dei ſeducerent, dum Monachis & Monialibus votorum voluntariâ obligatione vinctis vincula rumpunt; dum ad novum Euangelium in deſtructionem Latinæ Eccleſiæ propagandum, non veniunt humiliter ſine ſacculo, ſine pera, ſine calceamentis, non poſſidentes aurum, neq; argentum in zonis; non contradicentes mandatis Principum temporaneis; vt compareant ad teſtificandum Chriſtum, quando vocantur; ſed buccas inflant in contumelias, in diras, & plures facti Magiſtri ſcripturarum in tot ſectas ſcinduntur, quot capita; vt mirum ſit, ſi præter Articulum quo denegant Papam, congregati omnes Nouatores, inueniant medium vnum, cui firmiter adhærentes, diſcernant virum Hæreticum à verò fideli.

PROPOSITIO VIII.

Legis Ecclesiasticæ Sanctitas fidem confirmat.

AT contra legum Ecclesiasticarum volumina audire mihi videor Antipapistarum plausus in incendio Iuris Pontificij à Luthero Vitembergæ excitato ad Nuntium, quod ejus scripta fuerint pluribus in locis combusta. Quid ultra? Concedunt fortasse legem Christi in Euangelio contentam esse penitùs immaculatam, sed leges Pontificias esse animorum carnificinas, in confirmationem Tyrannidis adinuentas, quibus congruat, quod de scribis, & Pharisæis Christus pronunciat. *Matth. 23. 4.* Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponũt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Et minitans Legisperitis ait: *Luc. 11.* Et vobis Legisperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt; & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas: Nunquid verò iussit Dominus ea non servare, etiam si grauia videantur, cum dixerit; *Matth. 23. 3.* Omnia ergò quæcunque dixerint vobis servate, & facite: Secundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt. Si ergo scribis, & Pharisæis Christus non denegat honorem, vt illis obediant

diant homines, quid Lutherus ſuadet, Iuri Pontificio ne pareant? Quid illud flāmis dignum eſſe præſumpſerit, quod à tot, tantisq́; mundi vniuerſitatibus comprobatum ſciebat; quod non vnius ingenio, ut eius ſcripta, contextum, ſed tot Doctorum, & Conciliorum, & Pontificum, decretis compactum; non adiudicatum plurium examine Academiarum, vt ejus ſcripta, ſed optimis vtriuſq; Iuris Doctorum interpretationibus explanatum, à toto Chrtſtiano Orbe receptum eſſe non ignorabat. Ergone ſibi, ſuisq́; Aſſeclis ſapit vnus Lutherus, cæteri omnes & numero, & doctrinâ, & authoritate præſtantes deſipiunt? Et vt triumphet vnius ſcriptũ flammis deſtinatum à celebri Louanienſium, & Pariſienſium Conuentu, nedum à Pontificijs Congregationibus, Authores omnes Iuris Pontificij vnius hominis inopino auſu damnantur ad rogum? Nimirum hoc erat, quod ille miſer ex Actibus Apoſtolorum didicerat: Quod multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos; *Act.* 19. 19. Multi autem ex iis, qui fuerant curioſa ſectati contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus: An ſcilicet & ipſe Lutherus inter hos multos, ex quo au-

diebat ſua ſcripta novis adinuentionibus curioſa, non comprobari à Pontifice, cui iure profeſſionis ipſius, plus cæteris ſuberat; non comprobari ab Epiſcopis, non ab Academijs, quibus primò, ſe ſe ſubmiſerat, tandem quia didicerat, quod
Prov.18 Iuſtus, prior eſt accuſator ſui; confeſſus
17. eſt ſuas culpas, & ſuos libros ipſemet incendio conſumpſit? Ah non ſuos, ſed Pontificios; quia videlicet novus Apoſtolus puris inſiſtens ſcripturarum interpretationibus, repererat Paulum in Concilio iuſſum à Principe Sacerdotum Ana-
Act.23. niâ os percuti; & reſpondentem audi-
3. erat: Percutiet te Deus, paries dealbate; & tu ſedens iudicas me ſecundùm legem, & contra legem iubes me percuti; ſed quid retulit Paulus, quando qui aſtabant dixerunt? Summum Sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus; Neſciebam, fratres, quia princeps eſt Sacerdo-
Exod.22 tum. Scriptum eſt enim: Principem populi tui ne maledices. Nunc videant Lutheri modeſtiam, vtrum cum ſcripturis ejusmodi comparent; qui non cum Apoſtolo Gentium ad tertium cælum raptus revelationem acceperat novi Euangelij, ſed noua ex ſcripturis connectens, noua eructabat, & vetera, quaſi ex vno quoq; libro non poſſint centonibus

conge-

congeri & Mala, & Bona. An non ex Virgiliana Æneide Pòëmata de Beata Maria comminiſcuntur? An non & ex Biblijs Sacris Iulianus Apoſtata in fidem, Porphyrius in Sanctum Paulum, omnes Hæretici in Eccleſiam lymphati ſunt? Hoc ipſum codex legum Imperialiũ tanta hominum prudentiâ, & conſilio cõcinnatus, hoc ipſum & Decretum, & Decretalium volumina omnia pati, vt à malis hominibus in malum ſenſum detorqueri facilè poſſint: nam ſcriptum eſt: Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum ſed inquinatæ ſunt eorum, & mens, & conſcientia. Cæterùm legum omnium ſanctitas dijudicatur ex fine ipſarum, & praxis vtilitate; cum itaq; omnes leges Eccleſiaſticæ in hunc finem tendant ut Chriſti leges & conſilia ſeruentur, Chriſtiana Reſpublica in Spititûs vnitate, & pace feratur in Deum, ſi candidâ attentione animi Ius totum Pontificium legatur, conſiderando ſingularum legum motiua, circumſtantias temporum, locorum, perſonarum, ſicut in jure civili non eſt invenire ſimile quid Iuſtinianis Codicibus, Digeſtis, atq; Pandectis, ita in Iure Canonico, & Eccleſiaſtico quidquam meliùs ad bonum vniuerſi ordinem, & Tit. 1. 15

Hierar-

Hierarchiam excogitari non poteſt. Quod ſi quis audeat, in medium ferat, & ad trutinam velit omnia redigere. Nam ad praxim per plura ſæcula leges Pontificiæ redactæ non modò nullum tyrannidis incommodum afferunt, ſed talia Sanctitatis producunt germina, qualia conſideres ex recentioribus in Ignatio, in Franciſco Saleſio, in Philippo Nerio, in Thoma de Villà nouâ, in Carolo Borromæo, alijsq; hinc, & aliunde prorumpentibus ſurculis, qui Chriſti bonum ſpargunt odorem. Sed, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vi-
2.Cor. 2 tæ in vitam. O vtinam omnis concerta-
16. tio eſſet in obſeruandis Euangelij mandatis, Chriſti Conſiliis, & Eccleſiæ præceptis iuxta omnium, & ſingulorum ſtatum, & officium! Tunc appareret, quod non ex prædictis legibus pernicies, ſed ex licentia transgrediendi leges, omne dimanat Chriſtianæ Reipublicæ incommodum.

PROPOSITIO IX

Lex Sacrificii Miſſæ

SEd breuiter percurramus eas leges, quibus paſſim Acatholici ſolēt offendi. Miſſæ Sacrificium tanquam nefas Vitembergæ primò abrogatum Luthero ſuaſore; & in eius locum Noua Cænæ Domini

mini Institutio adinuenta ante omnia se offert. In hoc ergo sibi maximè placent, quòd velint inhærere scripturis; & non Pòtificum legibus. An ergo Cænam Domini Nouatores instituunt, vt vespere facto prius pedes lauent, & omnes in lecto discumbant; & dum interim manducant alios cibos, ab aliquo Prædicante qui Christum repræsentet, traditur Panis, & Calix; & hymno dicto in aliquem Montem exeunt? His enim cæremoniis celebratam fuisse à Christo Domino cænam clarè colligitur ex Euangelijs; quas si non seruant ad vnguem, igitur nouas introducunt cæremonias, vt Dominicam Cænam celebrent; & quid maioris habent authoritatis, vt debeat recipi ritus ipsorum, & non Missæ ab immemorabili tempore institutæ sacrificium? In hoc enim & Græci consentiunt, & Armeni, & Antiquissimorum Patrum adhuc Liturgiæ extant, sicut S. Ioannis Chrysostomi Missa, & apud Maronitas, & alios vetustissima Sacrificij eiusmodi monumenta. Quid in ea quæso, abominandum reperiunt? Audiant, videant, rogo, & quod fortè non intelligunt, interrogent? Inuenient enim nihil ibi institutum, quod vacet Mysterio; Omnia sacra, preces, lectionem scripturarum, verba Dominica, &

Matth. 26. 19. Marc. 16. 22. Io. 13.

Christi

Christi Iesu Passionem repræsentatam? An hæc nefas? An quod Sacerdos variis Crucis signis se, sacraq́; muniat? At hoc ab Apostolis Hæreditarium. Hoc signo vtebatur Antonius magnus, vt in eius vitâ Athanasius refert; hoc signo Constantinus trophæa retulit; vt non pudere de-
Luc.24. beat Christianum illius, in quo Christus
50. triumphauit, & dum ferebatur in Cælum eleuatis manibus benedicens Apostolis, satis expressit. An quod Sacerdos in Confessione pronus plangat suum pectus, modo iunctis, modo eleuatis manibus oret; & sæpe genuflectat, quædam voce submissâ legat, quædam elatâ; alia populum versus, alia dicat versus Altare? At Publicanus à Christo dilaudatus, qui à longè stans nolebat, nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus su-
Luc. 18. um. Cumq́; eleuaret Moyses manus
13. (orans ad Deum) vincebat Israel; sin
Exod.17 autem paululùm remisisset, superabat
11. Amalec: & Christus Dominus, qui per
Isa. 45. Isaiam dixerat, Interprete Paulo, quo-
23. niam mihi flectetur omne genu; orauit
Rom.14 aliquando in secreto, aliquando palàm
11. ad suæ instructionem Ecclesiæ; & varijs, mysticisq́; modis, & corporis situ precatus est Patrem; quid igitur reprehenditur Ecclesia, si vestigiis Præceptoris in-
tenta

intenta piè ritus, & cæremonias instituit ad Deum honorificandum, qui in veteri lege tot, adeòq; miris sacrificiorum cæremonijs in Leuitico per Moysē descriptis honorarari se docuit? Nō minùs verò zoilus in has Mosaicas functiones scommatis cachinnari posset, quàm de Missæ Sacrificio factū sit ab exoticis. Quemadmodū autē illæ veteres cæremoniæ Leuiticorū optimæ erant, quia multifariā promissum Messiam præfigurabant, ita Ecclesiasticæ Cæremoniæ, & Ritus à Diuersis Pontificibus, & Sanctis Patribus paulatim introducti in honorem Diuini cultûs, optimi sunt, quia diuersimodè Christi Mysteria repræsentāt; neq; superstitione aliquâ, aut vanâ obseruantiâ retinentur, sed Authoritate ipsius Ecclesiæ, quæ vbiq; locorum diffusa, tanquam filia Regis ab intus circumamicta est varietatibus; vt nimirū diuersi Catholicæ Ecclesiæ Ordines, diuersos seruēt ritus, & Cæremonias, nihil in substantiâ rerum differentes. Hoc idem citrà notam in rebus humanis contingit, vt aliter alii se mutuò salutent, ac alii; & secùs Conuiuia celebrent in Europâ, ac in Asiâ; num propterea non omnes & comedunt, & honorant? Nam actio ex fine agentis in Obiectum specificatur

Ps. 44.

cificatur

cificatur; si ergo alius ex affectu in Deum oret stando, alius genuflectendo: hic pectus contundat, ille genas. Alter manus iungat, alter eleuet: quidam terram deosculetur, & lingat, alius humi decumbat; quem damnari temerè oporteat? Sed certè quod fit authoritate publicâ meliùs est, quàm quod priuatâ deuotione alicuius; & quod plurium, & meliorum consensu, quàm quod paucorum opinione. Cùm ergo & plures in Ecclesiâ Dei circa Missæ Sacrificium & ritus consentiant, & sæculorum consuetudine, & Pontificum, Episcoporumque authoritate, & Doctorum sententiis approbentur, approbata seruentur; quid vnus Lutherus tanquam scelus condemnans de medio sustulit, & alios abominandum edocuit? Ergone Nouatores, nos Catholicos putatis tantâ multorum hominum authoritate deceptos, vos autem ab vno Monacho excucullato non decipi? Omnes enim qui Missam non approbant, secuti sunt ipsum, primum Nouitatis Authorem, quos puduit subesse Pontifici tanquam Tyranno; Apostatam sequi non puduit; quem authoritate omnium vestrâ turgentem nec vidistis ad Normam Euangelicam viuere, nec tanquam à Deo missum se comprobare.

Tandem

Tandem si detestamini in Missa veram Christi Domini præsentiam tantùm, quã nos profitemur, & hoc pro Idololatria habetis, (sit de hoc alibi sermo) solâ conceptûs mutatione res integra seruari poterat, vt magis vos pauciores Nobis conformaremini in cultu Diuino, quã vt nos traheremur à vobis ad deserendum id, quod à nostris Maioribus sanctissimè accepimus; & adhuc superstitiosum non videmus. Ah, fratres, ne sitis in numero eorum, qui velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & pernici- *2 Petr. 2*
em in his, quæ ignorant blasphemantes, *12.*
in corruptione sua peribunt.

PROPOSITIO X.

De Dominicis, & Festis Ecclesiæ.

ORigo Festorum est ab Origine Mundi, cum Deus post opera sex dierum, benedixit diei septimo, & sanctificavit *Gen. 2. 3*
illum : In lege autem scriptâ, præter Sab- *Exod. 12*
bathum, iussit & celebrari Pascha in Mense primo Anni; & post septem hebdomadas Pentecosten; & Festum Tubarum in Mense septimo, & expiationis, & Ta- *Num. 28*
bernaculorum ; & in Calendis Mensium *& 29.*
Neomenias : Quæ omnia cum essent fu- *Leuit. 16*
turorum figuræ, Christi aduentu, abroga- *& 23.*
ta sunt, & in illorum locum successit

Dies Dominicus, in quo post requiem
Sabbati in sepulchro habitam, Christus
Hebr.4. resurrexit à mortuis; & Resurrectionis
9. eius gaudio Novum instituit Pascha; &
Matth. Spiritûs Sancti effusione Pentecosten;
28. Mox in Ecclesia diuersæ solennitates, &
Act. 2. festa sunt recepta & Populi deuotione, & approbatione Pontificum: Non enim minoris debet esse authoritatis Synagoga, quam Christi Ecclesia; Cum ergo habeatur, quod Dies victoriæ à Iudith de Ho-
Iudith. lopherne habitæ, festiuitatis ab Hebræis
16.31. in numero Sanctorum dierum accipitur; & colitur à Iudæis ex illo tempore, vsque
2.Para- in præsentem diem: & Salamon encæ-
lip.7. nia instituit octo dierum in Dedicatione templi; sicut similiter statuit Iudas, & fratres eius, & Vniuersa Ecclesia Israel,
1. Ma- vt agatur dies dedicationis Altaris in tem-
chab. 4. poribus suis ab anno in annum per dies
59. octo; quid ni & in Ecclesiâ Christi eadem potestas statuendi festos dies,
Ester.1. & solennitates? Imò potestas Civilis id habet, vt statuat ad nuptias, & conuiuia, & sæculares lætitias, dies; hoc denegabitur in sacrum cultum Potestati subli-miori? Profectò Spiritualis potestas sublimior est quàm terrena, sicut Mens Corpori præcellit. Hîc autem notandum est, quod est de iure naturali, & Di-

uino aliquam temporis partem ab homine debere impendi in Dei obſequium, & cultum; æquum eſt enim Deo exhibere vitæ aliquod ſpatium noſtræ, à quo creati, & redempti ſumus, cùm pro nobis ipſis, & terrenis negotiis tantum profundamus ex toto, quod ab ipſo Deo gratis accipimus. Et quantùm ad hoc, Præceptum Sanctificandi feſta in Decalogo reperitur. Quod verò ſpectat vel ad determinandum certum ſpatium, & diem in hebdomadâ; vel præſcribendum ritum celebrandi eadem feſta, in lege veteri fuit de iure poſitiuo Diuino, quod Euangelii prædicatione abrogatum, iuri Eccleſiaſtico locum dedit; hinc ergo quanquam & Chriſtus, & Apoſtoli in primitiuâ Eccleſiâ legantur feſtis Iudæorum adſtitiſſe, & celebrâſſe illa; tamen ab illorum traditione potiùs, quàm expreſſâ ſcripturâ Sabbato ſucceſſit Dominica, propter quod noui Germaniæ Euangelici cogitauerint Sabbatizare: Vtcunq; tamen, poterant aduertere, quod Prima Sabbati, & vna Sabbati, de qua mentionem facit Paulus; non innuit niſi Diem Reſurrectionis Dominicæ. Sed quid congruentiùs in Eccleſia, quàm vt ſint in anni circulo dies, quibus Chriſti Myſteria præcipua Populo repræſententur

Matth. 26. 19. *Io* 5. 1. & 10. 22 *Act.* 20. 16. & 13 14. *Matth.* 28. 1. 1. *Cor.* 16. 2.

tentur

tentur? Vbi verò quidam rudiores solent offendi, quod aliqua festa quibusdam in locis recepta celebrentur, quæ alibi non seruantur: (Sed hoc locorum legitima consuetudo potest præscribere) & Correctione Gregorianâ Calendarium Romanum præueniat decem diebus in communi Iulii Cæsaris Anno Ciuili, vnde & sæpe festorum mobilium fiat varia celebritas inter Latinos, & Græcos, & eos omnes, qui Correctionem Anni Gregorianam non receperunt. Sed & hoc Astronomiæ sapit imperitiam, quæ sola temporum diuturnitate potest ignaros confundere. Quicunq; enim ubiq; Gentium Astronomiam callet, nouerit, quàm Sapienti consultatione Gregorius XIV. cum Primariis illius sæculi Mathematicis redegerit ad certam Periodum Ciuiles Annos, ne ampliùs futuris temporibus Mensium dies à puncto diffluerent æquinoctii, sed eodem situ manerent, quo fuerant in Nicæno Concilio. Attendent in complemento proximi sæculi vtrum insistentes Iulianæ Methodo bissextum admittent, an Vraniæ consilio vtentes; ne vndecim adhuc diebus à nobis distent, velint per singula sæcula cancros imitari potiùs, quàm vel Pontificios à longè sequi.

Fuit Anno 1582.

An. D. 1700.

PRO-

PROPOSITIO XI.

De Abstinentiâ, & Ieiuniis Ecclesiæ.

HIc verò vehementiùs exultant Nouatores, quam Catholici, quoniam hi abstinentiis bis intra hebdomadã addicti, ieiuniis quatuor temporum, Vigiliarum, & Quadragesimæ pressi rigidum onus ferre obligentur; illi autem carnibus ad libitum benè pasti, generoso vegetiores Spiritu Scripturarum libertatem ostentant, dicentes ex Luca: Manducate, *Luc.10. 8.* quæ apponuntur vobis: ex Paulo: esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet. Omne quod in *1Cor.10 15.* macello venit, manducate; & : Omne *Ib.27.* quod vobis apponitur, manducate; nam ex Matthæo: Non quod intrat in os, co- *Matth. 15. 11.* inquinat hominẽ; Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominẽ: quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Et ad Timotheum *v. 17.* describitur cauteriata illorum conscientia, qui nouissimis temporibus prohibeant nubere, abstinere à cibis, quos Deus cre- *1.Tim.4* auit ad percipiendum cum gratiarum actione: quia omnis creatura Dei bona est; & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Et iterum de Ieiunio interrogatus Christus à Discipulis Ioannis Baptistæ: Quare nos

& Pharisæi ieiunamus frequenter, Discipuli autem tui non ieiunant? Et ait
Matth. 9. 15. illis IESVS: Nunquid possunt filii Sponsi lugere, quamdiù cum illis est Sponsus? At exultatio huiusmodi, fratres, carnalis est; Vbiq; enim locorum, & Scripturarum abstinentia, & ieiunia commendantur, vt potè quibus vitia comprimuntur, mens eleuatur, in Deum, & carni subiicitur, & maximarum virtutum incrementum obtinetur. Idcircò Christus, qui
Matth. 4. præiuit exemplo ductus in desertum à Spiritu, ieiunium quadragesimale sanctificauit; qui præter Agnum Paschalem, carnes comedisse non legitur, de suis
Matth. 9.15. Discipulis addidit: Venient autem dies, cum auferetur ab eis Sponsus, & tunc ieiunabunt. Eccè ergò quod in Ecclesiâ militante tempus ieiunandi venit, cùm non sit tempus nuptiarum, quibus visibiliter Christus intersit: & ideò de Ieiunio
Matth. 6. 16. nobis tradidit documēta, nè fieret per hypocrisim; Quod quidem ab Apostolis habuisse initium non solùm patet ex actibus Apostolorum, sed traditione ipsâ in totâ Ecclesiâ; nam & Græci, & Armeni, & Latini multas habent abstinentias, & Ieiunia; qui attendunt Paulo scribenti: Non est enim Regnum Dei esca, & potus: Noli propter escam destruere opus Dei

Act. 13. 2. & 27. 9. 2 Cor. 11 27. Rom. 14 v. 17. 20.

Quid

Quid ergo nocet abstinentia, & ieiunium, quæ Sanctis Patribus veteris, & noui Testamenti adeò profuerunt etiam ad diuturnitatem præsentis vitæ; & diæta à Galeno, & Hyppocrate præscripta comprobatur pro corporis incolumitate, & ab ægris seruatur; ieiunia verò ab Ecclesiâ Peccatoribus medicinaliter mandata contemnantur? æquumnè estChristum pro nobis ieiunasse, pro Christo in libertatem carnis nolle ieiunare? Quia videlicet hoc est iugum Papisticum, & non potiùs iugum Christi? O quam spatiosa perditionis est via? Dicant Nouatores, vtrum scorpiones comedent, si illis apponentur, quandò ad mensam Apostolorum peregrinantium assidentes, citant illud: Manducate, quæ apponuntur? O quam macra conuiuia reperiuntur ab illis, qui sine auro, & argento Apostolorum more peragrant mundum; Quid ergo? si quæ non placent, non manducantur, licet apponantur, quæ prohibentur debeant manducari? Non certè coinquinat cibus, sed inobedientia, quæ Ecclesiasticæ consuetudini vim legis habenti contradicit; coinquinat crapula, & intemperantia, quæ vitiorum fomitem incendunt: ideò Epulo cruciatur in inferno sepultus, & Christus docet fideles: *Luc.* 16. 22.

L, 21. 34 Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate; coinquinat scandalum ipsum, quod in scissurâ Ecclesiæ Lutherus, eiusq; sectatores dederunt; & ideò cum multa Paulus variis in locis discurrat de carnibus idolo immolatis, quanquam exinde suadeat non esse malum carnes comedere, aliosq; qualescunq; cibos, tamen ratione scandali concludit: Quapropter

1. Cor. 8. 13. si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, nè fratrem meum scandalizem. Quid dixisset si lege consuetudinis reperisset in Ecclesiâ Christi Præceptum ieiunandi, & abstinendi, per tot sæcula conseruatum;

2. Cor. 11. 27. qui in vigiliis, & ieiuniis multis viuebat? An docuisset non ieiunare, & detrectare contumaciter tam sanctis legibus, vt populo licentia daretur edendi; & bibendi prout sibi placuerit? qui suadebat custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum, vt abstinerent à sanguine, & suffo-

Act. 15. 24. cato, & fornicatione? lex enim est fræ-num populi; nam fideles amore Christi ducti, non contenti abstinentiis, & ieiuniis Ecclesiasticis, adiiciunt voluntariè & plura in confusionem videlicet Nouato-

Matth. 12. 41. rum, contra quos viri Niniuitæ surgent in Iudicio cum generatione istâ, & condemnabunt eam.

PROPO-

PROPOSITIO XII.
De Sacramentali Confessione peccatorum.

POEnitentiæ Sacramentum, quod Catholica tenet Ecclesia, eoq; saltem in annum fideles suos iubet expiari, non aliundè à Nouatoribus criticè notatur, nisi quia animorum Lybitina videatur. Cæterùm maximè scripturis cohæret: vt qui post Baptismum peccant, remedium habeant delendi peccata, sicut habebant antiquitùs expiationes. Ideò ait Petrus Simoni Mago: Pœnitentiam age ab hac nequitiâ tuâ. Primò enim quid mali implicat peccatorum Confessio, quæ declaratur facienda legitimo Sacerdoti auricularitet in numero, & specie peccati? Medico declaranda est ægritudo, quantum fieri potest; lepræ cognitio veteris Testamenti Sacerdotibus debebatur; in lege nouâ contenditur culpa de manifestanda illis, quibus data est potestas soluendi & ligandi? nam Christus Apostolis insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Et apud Matthæum: Amen dico vobis quæcunq; alligaueritis super terram, erunt

Leuit. 5.
Act. 8.
Leui. 12
Matth. 16. 19.
Io. 20. 22.
Matth. 18. 18.

ligata & in Cælo; & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Nullum fit Iudiciùm, etiã ciuile sine causæ cognitione; quomodo ad salutarem animarum pœnitentiam dabitur iudiciũ sine cognitione expressâ culparum? Sancti Patres vel minimas cogitationes senioribus aperiendas docebant, vt eluderent diabolicos astus; Lutherus verò vt suos faceret peccando confidentiores, Catholicæ Confessionis rigorem relaxat; dumq; asserit fieri non posse, quod omnia aperiantur peccata; negligentiam inducit in animos, vt quod possunt, non præstent. Secundò quod dolor de peccatis vel contritionis, vel attritionis, vt aiunt, cum proposito emendationis imposterum, sit necessarius in pœ-
Ierem. 18. nitentiâ, negent impœnitentes; nam
Matth 3. obstinatio animi in malum veniam non habet apud homines, quantò minùs apud Deum, qui millenis scripturæ locis ad-
Isa. 55. hortatur homines ad pœnitentiam, &
Ioel. 2. conuersionem, & dolorem, & emendationem? 3tio quod homo pœnitens pro
Luc. 13 peccatis satisfacere debeat, Iustitia exi-
&24.47 git, si peccato proximum læsit, vt restitu-
&c. at, quod abstulit, & damnũ illatũ rependat: Et cum Deum offenderit, doleat super omnia, offendisse, & dolorem pœniten-

nitentiæ, humilitatis, & obedientiæ virtutibus protestetur. Quantum verò spectat ad Sacerdotalem absoluendi facultatem, si dicta non sufficiant, alia non deerunt inferiùs, quæ ipsam confirment à Christo in Ecclesia traditam esse. Nam Institutio Sacramentalis pœnitentiæ à Christo est, non à Papa; ideòq; & Papa ipse Confessarium habet, cui sua peccata confitetur, & se illi subiicit, & obedit, vt tanquam homo salutem consequatur. Quod verò fieri præcipiat, vides Philopiste, quod peccatoribus datur medium ita ad salutem necessarium, vt si quis ipsum aspernetur, vnà simul & plures despiciat Euangelicas virtutes, quibus Diuina conciliatur misericordia; & per arctam viam non ingrediens audire mereatur: Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Prou. 28 13.*

ROPOSITIO XIII.

De Sacrâ Communione Annuâ

ITidem suis fidelibus S. Mater Ecclesia præcipit saltem in Paschate Resurrectionis refici Sacrâ Synaxi. Hîc ergò quid calumniantur Censores? Quod integram Domini Cœnam extra Sacrificium ipsum non præbeant? extant pro

hac

Io.6.58. hac legitimâ consuetudine Scripturæ: Christus ex Ioanne ait: Et qui manducat me, & ipse viuet propter me. Si ergò Eucharistiæ veritas teneatur, (ut infra) dum Iesus Christus totus est sub specie qualibet panis, sicut sub vtraq; non minùs recipit totum Christum, qui sub vnâ specie communicat, quam sub utraque.
Luc.24.30. Accedit exemplum Christi, qui recumbens cum duobus Discipulis in Emmaus; accepit panem, & benedixit, ac fregit t & porrigebat illis: & ipsi cognouerun, eum in fractione panis. Item in actibus dicitur, quod Christi fideles erant per-
Act.2.42. seuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis Panis, & Orationibus Et alibi: Vna autem Sabbathi, cum conuenissemus ad frangendum
Act.20.7. panem. Ex quibus authoritatibus qui morem Ecelesiæ non approbant, vel fidem minuunt, non credentes Panem Eucharisticum esse Panem viuum, qui de cœlo descendit; ideſt Dominum Iesum: vel non considerant difficultatem satisfaciendi populo vini potione, quod & in multis locis difficulter inuenitur, & dum porrigitur, effusionis periculũ imminet: vel tandem qui calicis desiderio tenebantur fide integrâ, aut dispensationẽ à lege poterant impetrare, aut si, nefas

putaba =

putabant à totâ Ecclesia non vsurpari, debebant scripturis ostendere vsum Calicis in vniuersa Ecclesia fuisse omnibus concessum, & non solis Apostolis, & Sacerdotibus: Quando enim Christus dixit: Bibite ex hoc omnes: Apostolis locutus est, ideò expressè narratur quod vespere facto discumbat cum duodecim Dipulis suis: Quid significat tam accurata Institutionis Eucharisticæ descriptio? Et exprimens, quod accipiens Calicem gratias egit; statim addit: Et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Qui sunt illi homines, nisi illi duodecim, quibus illis dedit Calicem ad bibendum? Quibus & subiunxit pòst cœnam: Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte. Et concordat Marcus dicens: Et biberunt ex illo omnes? An biberunt, qui non aderant? Omnes ergo biberunt, quibus dictum est: Bibite ex hoc omnes.

Matth. 26. 27.

Ib. v. 3.

Marc. 14. 23.

PROPOSITIO XIV.

De soluendis Decimis.

PRo Decimis Ecclesiasticis iuxta locorum vsum soluendis militant hæ Scripturæ; & rationes. Vnicuiq; hominum iure naturali debetur sustentatio, & suo labori merces; Cùm ergò Ecclesiastici laborent in Ecclesia Christi, debetur

illis

Matth. illis merces, & sustentatio iure naturæ;
10. 10. quare Apostolis ait Dominus: Dignus est
operarius cibo suo: expressiùs apud Lucam: In eadem autem domo manete,
*Luc.*10. edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt:
7. dignus est enim operarius mercede sua:
1 *Tim.*5 Et Paulus ad Timotheum: Qui benè præ-
18. sunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in Verbo
*Deut.*25 & Doctrina. Dicit enim scriptura: Non
4. alligabis os boui trituranti. Et: dignus est
Operarius mercede suâ. Et hoc suadens Corynthiis, quanquam ab ipsis victum non acciperet, vt omnem tolleret occa-
1.*Cor.*9. sionem murmuris, dicebat: Numquid
9. non habemus potestatem manducandi, &
bibendi? aut ego solus, & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non
*Act.*15. dicit? Sed Dices: Si lex vetus per Chri-
18. stum, & Apostolos est abrogata, quid citat hic Paulus legem? Nam in lege Moysi patet, quod & Oblationes, & Primitiæ, & Decimæ Leuitis dabantur ab Israele. Respondeo; quod lex vetus est abrogata quantum ad Cæremonialia, vt ea serua-
re

re ſit noxium, quia ſunt futuri figuræ; Quantũ autem ad Iudicialia, eſt quidẽ abrogata, ſed ſine noxa obſeruari poteſt, & ſi huic accedat Authoritas alicuiꝰ, qui poſſit legem condere, tunc ratione præcepti debet obſeruari, vt lex Iudicialis dicebat: ſi ſeduxerit quis virginem, necdum *Exod.22*
deſponſatam, dotabit eam, & habebit eam vxorem. Hoc licet in lege gratiæ *Leuit.2.*
non teneat, tamen ſine culpa ſeruari poteſt, & hoc quibusdam in locis humana lege confirmatum eſt. Tandem quantum ad Moralia, non ſolum poteſt, ſed etiam debet ſeruari. Porrò Lex Decimarum, Primitiarum, & Oblationum, ſi quod habet Cæremoniale, ceſſat penitùs; Cùm autem multum ſpectet ad Iudiciale præceptum, Authoritate Eccleſiæ potuit cõfirmari, nè populus Chriſtianus minoris eſſet Conditionis, quam Iſraeliticus; cui dictum eſt: non apparebis in conſpectu
meo vacuus; Neq; minoris dignitatis eſ- *Exod.23*
ſent Sacerdotes veteris legis, quam no- *15.*
ſtrates. Et quantum ad hoc lex Decima- *Hebr.7.*
rum, eſt iuris Eccleſiaſtici, vt determinetur quota, & qualiter fiat iuxta locorũ, & Miniſtrorum exigentiam. Quantum verò ad hoc, quod debent ſuſtentari aliquo modo Miniſtri Eccleſiæ, eſt ius naturæ, quod ſuadet Apoſtolus; & ideò ſequitur

Ib. Cor. quitur allegans scripturam: Non alliga-
bis os boui trituranti. Numquid de bo-
bus cura est Deo (sicut de hominibus?) An
propter nos vtiq; hoc dicit? --- Si nos vo-
bis Spiritualia seminamus, magnum est, si
nos carnalia vestra metamus? si alii pote-
statis vestræ participes sunt; quarè non
potiùs nos? (nota quomodò infert po-
testatem Ecclesiasticam superiorem sæ-
Deut.16 culi Potestatibus) Quare non potiùs nos?
Nescitis quoniam, qui in Sacrario
operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: &
qui Altari deseruiunt, cum Altari parti-
cipant? Ita & Dominus ordinauit iis, qui
Euangelium annuntiant, de Euangelio
Rom.15 viuere. Præterea constat pluriès Paulum,
26. & Apostolos Collectiones, & Collectas
1 Cor.16 pecuniarum ordinâsse in vsum Ecclesiæ, &
Pauperum? Quid ergò condemnari que-
at Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ad
honestam Cleri sustentationem? Reli-
1 Tim.6 quùm enim & paucis contentos Ministros
7. Christi vult esse, & in Pauperes eroga-
ri, quod de Christi Patrimonio superest,
enixè commendat; & omnem Simoniæ
labem abominatur.

PROPOSITIO XV.

De Cælibatu Ecclesiasticorum.

HIc verò pro se scripturas adducant
Zelo-

Zelotypi reformandæ Ecclesiæ Statores,
& dum ad Nuptias vocant, quotquot de-
ficiunt ex Catholicæ Ecclesiæ Clero, &
Monachatu, cum Luthero, Caluino, Zu-
inglio, Carolstadio, & aliis Apostatis;
suadere conantur Romanæ Babyloniæ
Tyrannidem ad id temporis deuenisse,
in quo prohibeatur nubere iuxta Aposto- *1. Tim.*
licum Vaticinium; Cum cæteroquin *4. 3.*
scriptum sit, Episcopum debere esse uni- *1. Tim.*
us vxoris virum; & Presbyteros per Ci- *3. 2*
uitates constituendos; si quis sine crimi- *1 Tit. 1.*
ne est, vnius vxoris vir, filios habens fide- *6.*
les: Ita Diaconos debere esse vnius vxo- *1. Tim. 3*
ris viros; qui filiis suis benè præsint, & *12.*
suis domibus; Propter fornicationem au- *1. Cor. 7.*
tem (vitandam) vnusquisq; suam vxo- *2.*
rem habeat. Meliùs est enim nubere quã
vri. Et detestanda est illa Babylon ma-
gna mater fornicationum, & abominati-
onum terræ super septem Romæ colles *Apoc. 17*
exaltata. Audin' Philopiste Nouatores? *Matth.*
Ecce quam lata porta, & spatiosa via *7. 13.*
est, quæ ducit ad perditionem! Vtq;
essent multi, qui per eam intrarent, dia-
bolus Hæresum author carnis voluptati-
bus plurimùm allicit. Protestor ego mi-
serrimus coram Deo, & hominibus, quod
quotiescunq; contra Catholicam fidem
grauissimis impetitus sum tentationibus,

quæ

quæ per plures annos interiùs, exteriùsq; me vexauerunt, illarum omnium finem considerans, quòd tenderent ad votorum solutionem, ad carnalis vitæ libertatem, ad huiuscè sæculi fallaces illecebras, o-
1. Petr. 5. 9. mnes Diuinâ gratiâ procellas elusi, resistendo fortis in fide. Si enim in Euangelii Spirituali libertate bonum est homini mulierem non tangere; si per consi-
1. Cor. 7. lium dicitur: Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem? Quid condemnor, si pro Christo, ætate iam matura, & sui compote, vxorem relinquo; & voto castitatis perpetuæ me illi deuincio, quem
Apoc. 14. virgines sequuntur in Cælum? Et si hoc adeò laudabile fuit in Ecclesia Christi
Iudith. 16. (imò & in Synagoga) vt innumeris exemplis floruerit; quare non potuit legem statuere Ecclesia Latina, quam consuetudine ipsâ iam reperit introductam, vt qui velint esse in Sacris Ordinibus, non ducant vxores, sicut & Monachi? Nonnè Principes pro vsu bellorum, itinerum, aulæ, & similium munerum, in proprium seruitium distrahunt ab vxoribus ducendis quàm plurimos homines? alios vel vxoribus priuant; vel etiam potestate gignendi, solummodò vt Musicam exerceant; vt seruiant tutiùs Eunuchi in Gynecæis? Imò & Patres filias coer-

coercent, quia idoneum non reperiunt Sponſum, aut dotare non poſſunt; & alij propter rem domeſticam conſeruandam, vxores non ducunt; & qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam? Quid igitur inſaniæ fuit in Eccleſiæ prætenſam reformationem tam Sanctam legem deſtruere verbo, & exemplo? Quia videlicet Sacerdotes erant fornicarii, & concubinarii. Sed neſciunt contra hos rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ? Non permittuntur ſine mulcta eſſe, qui transgreſſores ſunt legum; Sed numquid non vbiq; locorum ſunt legũ transgreſſiones, & delicta? An propterea fides deſerenda, quod eſt omnium delictorum grauiſſimum? Poſſunt quippè pluribus annis experiri, an continere ſe valeant qui in Cleri Album nomen ſuum velint referre; vt ſi non ſe continent, nubant; ſi autem Eccleſiæ beneficio frui volunt, quare non ſic mul & onus ſubeunt caſtitatis? Nonnè vident Hæretici, quod lex cælibatûs Eccleſiaſticos ipſos premit, non à quibus putant latam; & non eſt jugum ſæcularibus impoſitum? Et quomodò introduxiſſent rem adeò difficilem, & naturæ ſuperiorem, niſi conſuetudinis hæreditate

1.Cor.9 25.

acce-

Gen. 8. acceptam à noſtris maioribus non inue-
21. niſſent? Natura enim prona eſt ad malum, vt cum tantum pondus ferre non
Pſ. 2.3. poſſent illi primi Nouatores ex Clero, adiuenerunt modum dirumpendi vincula eorum, & abijciendi à ſe jugum Christi. Et ſi vt vacent orationi, laudabiliter
1. Cor. 7 abſtinent coniuges; Clerici ad Divi-
5. num cultum diù noctuq; per Canonicas horas deſtinati, debent vxores ducere, vt filiorum curis diſtrahantur? dicitur verò: Nemo militans Deo, implicat ſe
2. Tim. negotijs ſæcularibus; vt ei placeat cui ſe
2. 1. probauit. Hoc bonum certè Eccleſiæ, quæ carnaliter propaganda, infra paucos annos adeò creſceret numero, vt poſſet ſectarios omnes debellare. Væ nobis, & vobis, Hæretici, ſi nuberet Clerus: Tunc enim Roma, non Sacris ſcripturarum, & legum monumentis Spiritualem Monarchiam ſuam promoueret; ſed ingenio ualidior, armis potentior, prole facta fæcundior, occupatione carnalior, carne vegetior; neſcia carne quomodò filios ſuſtentaret, faceret, quod vos ſoletis: ut cùm non deſtinatis Eccleſiæ cælibes, mittitis ad bellum trucidandos. Sed nè ſæculares Principes quidem hoc approbarent, nec vxorati vlli, quibus ſpes eſt, vt filiis ſuis de bonis Eccleſiæ prouideant

deant. Hinc verò mirum eſt cur Monachos, & Clericos adeò execrentur, quibus in tantum jugum ſubductis compati maximè deberent. Nonnè omnes Coniugatorum ſunt filij veſtri? Nonnè ſpurios ex Clero, ſi qui fragilitate humanâ enaſcuntur, Eccleſiaſtici ejurant, vt legitimi veſtri ſibi ſuccedant? Quid ergò lamentamini? Quid nouam illis legem offertis? vt ſic ſcilicet meliùs Deo ſeruiant? An neſcitis, quod qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo? Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt? An neſcitis, quod nemo poteſt duobus Dominis ſeruire? ſi plures Eccleſiæ Catholicæ Sacerdotes dolemus modo, quod mali ſint, cum tot legum fræno coerceantur, quid facerent ſoluti, & diuiſi? Num defectores in melius euaſerunt, quod vxores acceperint? tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Sed hoc verè mirum, quod de Latinâ Eccleſiâ vaticinatur Iſaias, dicens: Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filij deſertæ, magis, quàm eius, quæ habet virum. Ad ſupra obiecta ergo reſpondeo, quod in Eccleſiâ nuptiæ non ſunt prohibitæ liberis, ſed ijs qui o-

1. Cor. 7. 32. *Matth. 6. 24.* *1 Cor. 7. 28.* *Iſ. 54. 1.* *Gal. 4. 27.*

bligati sunt ex voto, & iuramento: Imò secundum leges Ciuiles non potest ducere vxorem, qui sub alterius est potestate sine consensu domini; quantò magis hoc seruare debent, qui suâ sponte sese Deo addixerunt per votum? Ad 2. Primitùs in Ecclesiâ assumebantur ad Ordines etiam vxorati dummodò excellerent fide; tamen hoc semper cautum est, ne bigami essent, sed vnius vxoris viri: Inde autem factum est, vt tamē pro Domino vacantes liberiùs spiritui, nihil de vxore essent soliciti. Vnde Sancti Patres Græci, & Latini leguntur vixisse in cælibatu perpetuo; puta; Basilius, Gregorij, Athanasius, Chrysostomus, Damascenus, Augustinus, Ambrosius, &c. qui & de castitate multa scripserunt. Ad 3. Meliùs est nubere, quam vri, illis qui habent libertatem sui corporis: Nam si coniuges ampliùs potestatem sui corporis non habent, ex quo matrimonio sunt iuncti, quare potestatem debent habere sui corporis illi, qui suâ voluntate sese Deo deuouerunt? Ad 4 fornicarij, qui non possunt continere, ieiunent, & orent; nam
Matth. 17. 11. hoc genus dæmoniorum faciliùs ieiunio, & oratione propellitur, quàm sacrilegis nuptijs: Quod autem Roma Babylon à
1. *Petr.* 5. 13. S. Petro appellatur, ratio temporis est atten-

attendenda, ni quo hæc ſcripſit: quâ etiam non obſtante, inquit, ibi eſſe Eccleſiam coelectam: Apocalypſis verò cap. 17. verificata eſt, vt magna Ciuitas Roma, quæ habebat regnum temporale ſuper Reges terræ, ebria Martyrum ſanguine, dum fuit mater fornicationum, & abominationum terræ, idololatriis intenta, iam non eſt ampliùs: Et quæ erat Magiſtra ſuperſtitionum, à verbo Dei per Apoſtolos Petrum, & Paulum paulatim ſubacta, facta eſt Magiſtra veritatis; propter quod Cælum, & Apoſtoli exultant, vt cap. 18. deſcribitur; & Chriſtus fidelis, & verax in ſuis promiſſis Petro præhabitis ex Vrbe Româ pugnauit aduerſùs beſtiam; & electi congregati ad magnam Dei cænam comederunt in triumpho eius omnes carnes regum, & fortium; vt narratur cap. 19. Quid eſt hoc, niſi quia Roma, quæ prius temporaliter per arma totum mundum triumphabat, inde per verbum Dei triumphare debebat? Et hoc additur ſequenti cap. 20. quod diabolus ligabitur per mille annos in abyſſo, vt non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni; & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore: ſi computentur mille anni, in quibus dicitur, quod Sacerdotes Dei, & Chriſti re-

gnabunt, inuenientur ad Lutheri tempus hoc spectare, in quo solutus est Sathanas. &c. Verum Prophetiarum obscuritas humanâ interpretatione veritatem nobis non potest ostendere; & ideò in diuersa trahitur donec perfectè adimpleatur. Sed
1. Cor. 9. 5. instabis ex Apostolo: Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? sed lege quod scribit Sororem, non coniugem: & hoc ipsum scribit, vt suadeat, quod mulier ad
1 Tim. 5 Clerici seruitium destinata, honestè viuens, debet sustentari de collectis, seu decimis Ecclesiæ: Instruens verò Thimoteum, ut adolescentiores viduas deuitet, quales esse oporteat; quæ ministrare in Clero possit; docet, inquiens: Vidua eligatur, non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens &c.

PROPOSITIO XVI.

Miræ hominum conuersiones ad fidem Catholicam, eius veritatem roborant.

QVomodo autem ad tam arduam, & rigidam vitæ Catholicæ Professionem tot populi deuenerint, valdè mirandum est; Nam quod in operibus carnis hominum Myriades ad sectas declinent,

in

in promptu causa est. Placet voluptas edendi, bibendi, luxuriandi; placet non subesse legibus orandi, abstinendi, ieiunandi, &c. Sed quod Apostoli vnâ Christi voce interpellati relinquat omnia; *Matth. 19. 27.* Quod Paulus de persecutore fiat Apostolus, eâ scilicet ostensione, vt pro præmio *Act. 9.* suorum laborum præmoneatur, quanta pro Christi nomine eum oporteat pati, quasi malè operantem. Quod Petrus Piscator ad primam concionem conuerterit *Act. 2. 41.* hominum circiter tria millia; ad alteram numero virorum quinque millia; itemq; *Ac. 4. 4* Apostoli omnes; rudes, & sine literis, contemptibiles mundo, prædicantes Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, sapien- *1. Cor. 7.* tes mundi, & populos, & Reges illexerint ad Crucis amplexum, ad pœnitentiam, non delicijs, non opibus, non illecebris: profectò nisi Deus internâ gratiæ motione mirabiliter cooperatus fuisset, vt confirmaret vocatos, hæc omninò fieri non poterant. Quod enim post Apostolos Mahometes voluptatū classicum ciens inter populos ignauissimos congregauerit suam sectā, & armis ipsos adegerit ad Alcorani obsequium, quid mirum? Sed quod Discipuli Domini docentes Ethnicos carnales abstinere ab omni immunditiâ, &

vnâ esse contentos vxore, alios rigidiùs castitatem profiteri pro Christo, mundi Philosophos, Græcos, Latinos, ex omni populo, & linguâ lucrati fuerint; hoc verè mirum. Suggere per omnia Ecclesiæ tempora; quos in Ægypto Marcus, quos Antonius Milites Christi instruxerit; quos in Græciâ Basilius, in Italiâ Benedictus, in Africâ Augustinus mirabiliter ad Deum conuersus, ad Apostolicæ vitæ normam socios attraxerint. Et quam firmiter in maximis Imperatorum, Regum, & Principum persecutionibus, quas passa est Ecclesia, proprio sanguine innumeri Martyres fidei veritatem confirmâuerint, omni sexu, omni ætate, omni conditione viri, & mulieres; Et quam strenuè adhuc pro Catholicâ fide decertent, non aliis armis, quam orationibus, & vigilijs; non aliis machinis, quam sacris studiis, & concionibus; non aliis delicijs, quam ieiunijs, & paupertate voluntariâ, abstinentiâ, & castitate perpetuâ; cilicijs, & humili obedientiâ. An ista Deo non placeant, quæ Deum habent Authorem? Quid mirum si Lutherus Hymenæi face præcedens auocauerit plures ex Clero? sed mirum profectò quod Carolus Quintus pro claustro Imperium ipsum respuerit. Quid mirum si Henricus Octavus Pon-

tifici infenſus propter Annæ Bolenæ nuptias, quam deperibat, hæreſim in Angliam inuexerit? Sed mirum profectò, quod recens Iacobus ſeptimus Angliæ Rex pro Catholicæ fidei confeſſione nullum regni, vitæq́; propriæ periculum ſubire formidauerit. Sic & pro fide Telericus Rex Bulgarorum, regnum ipſum deſeruit, vt fieret Chriſtianus: Sic & Gulielmus Dux Aquitaniæ principatum in humilem pœnitentis ſtatum ad Pontificis pedes proſtratus commutauit. Sic & Franciſcus Borgias Candiæ Dux, & Alphonſus Eſtenſis Dux Mutinæ, vt alios antiquiores prætercam, aulæ, & opum delicias pro hac fide contempſerunt, vt arcto calle peruenirent ad regna cæleſtia, Hærerici verò, & omnes fide languentes potiùs terrenarum rerum ſponſione ducti mutantur; quam tribulatione ipſâ, & ſancto viuendi rigore teſtimonium veritati perhibeant. Cum itaq́; lex, & conſilia Chriſti, & Eccleſiæ Catholicæ tantam vim habeant, vt animas à vanitatibus, & concupiſcentijs terrenis ad Deum vivum convertant, & effectu ipſo iugiter hoc ipſum præſtent, quod nullibi locorum extra Eccleſiam Catholicam obſerues, dicendum eſt, quod religio, & fides, quàm elegi, ex hoc etiam capite omnium ſit veriſſima, & optima.

An. 777

PRO-

PROPOSITIO XVII.

Prophetia, & Spirituum discretio fidei Catholicæ veritatem asseuerant.

PRæterea futura, absentia, & mentium arcana manifestare solius est Dei; quare Isaias dicit: Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos: Et Salomon Deũ alloquitur: quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. Sed in solâ Catholicâ Ecclesiâ reperitur eiusmodi Spiritus Diuinus, quo futura, absentia, & secreta cordium annunciantur: ergo fides illius, & religio, est vnicè vera, & Diuina. Minor probatur. Totum vetus Testamentum de Christo venturo diuersimodè vaticinatur: vnde dicebat Iudæis: scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: (attende obiter fuisse Iudæorum opinionem, sicut nunc Hæreticorum, ex solis scripturis vitam æternam habere, cum illæ sint tantùm Instrumentum viuentis Ecclesiæ.) Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Abrahamo Diuina facta est promissio, quod in semine ejus benedicendæ erant omnes Gentes terræ: Iacob præuidit Christum venturum cum Reges Iudæ essent defecturi. Moyses serpente æneo super

Is.41.23 *3Reg.8.39.* *Io.5.39.* *Rom.4.9.* *Gal.3.* *Gen.22.* *Gen.49* *Io.3.14.*

super Tau exaltato eius salutiferam cru- *Matth.*
cifixionem expressit; Micheas in Bethleem 2. 6.
Dominum nasciturum prænunciat; Isaias, *Id.* 11.10
& Malachias Ioannem Christi Præcurso- *Id.* 2. 26.
rem describunt. Ieremias Innocentium *Id.* 13.34
stragem vaticinatur. Oseas Christi fu- *Act.* 4.
gam in Ægyptum. Dauid præuidit Ma- 25.
gorum adorationem; prædicationem e- *Act.* 13.
ius parabolicam; asseruit ipsius Diuinita- *Matth.*
tem, Passionem, Crucifixionem, Resurre- 22.44.
ctionem, Ascensionem in cælos: Aposto- *Rom* 10
lorum prædicationem; & plurima eius- *Eph.* 4.8.
modi in psalmis. Isaias miracula Christi *Matth.*
prædicit; Mortis eius genus, & finẽ, & fru- 11. 5.
ctũ & sic passim ex Prophetis adeo clarè de- *Act.* 8.27
scribitur Christus, vt inexcusabiles sint, qui *Matth.*
eum non receperunt. Hoc ipsum & sy- 9. 1. &
billæ fecerunt, quarum testimonijs vten- 12. 25.
tes Apostoli, faciliùs ad Christi fidem i-
dololatras perduxerunt; Pauca ipsarum
fragmenta extant apud Hesiodum. Eodẽ
modo Iesus Christus ostensurus quod e-
rat, alienas cordium cogitationes pluriès
manifestabat; & ante quàm fierent, præ-
dixit omnia, quæ erant ventura, de se; di- *Luc.* 5.22
cens: Ecce ascendimus Ierosolymam, & & 9. 47.
consummabuntur omnia, quæ scripta sunt
per Prophetas de filio hominis: tradetur *Luc.* 18.
enim gentibus, & illudetur, & flagellabi- 31.
tur, & conspuetur; & postquàm flagel-

lauerint

Matth. lauerint occident eum, & tertiâ die re-
26. 25. surget. De Iudâ Iscariote, quod esset eum
v. 35 proditurus; De Petro, quod ter ipsum ne-
Marc. gasset; in nocte; De omnibus, quod pro-
13. 43. pter ipsum persecutionem paterentur.
Luc. 19 Item prædixit Ierusalem destructionem,
42. reprobationem Iudæorum, Petri Apostoli
Matth. mortem; Ecclesiæ suæ firmitatem; Pauli
21. 42. labores, & alia multa quæ cum ad amus-
Io. 21. 18 sim completa cognoscamus, & quæ præ-
Matth. dixit de iudicio finali, de resurrectione
18. 18. mortuorum, de pœnâ, & præmio futuræ
Act. 9. vitæ, & similibus, complenda esse, dubi-
16. tare non possumus. Ex altero alterum in-
Matth. ferre licet, vt qui adeò verax fuit in præ-
Iud. 1. 17 sentem diem, & veraciter ventura annun-
2 Petr. 3. tiauerit. Eundem in Ecclesiâ Catholicâ
2. spiritum à Deo habuerunt Apostoli, &
1. Thes. Discipuli Domini, & adhuc perseuerat.
3. 3. Paulus suas tribulationes prædicebat
Act. 27. Thessalonicensibus. Nautis ingruentem
11. procellam: Agabus significabat per spi-
Act. 11. ritum famem magnam futuram in vni-
28. uerso orbe terrarum, quæ facta est sub
Act. 21. Claudio; Et idem aliâ vice tulit zonam
11. Pauli, & alligans sibi pedes & manus o-
minatus est sic alligandum Paulum in Ie-
rusalem à Iudæis, quod prorsùs euenit.
Ioannes verò in Apocalypsi totius Eccle-
siæ statum describit, usq; ad mundi con-
summatio-

consummationem. Antonius magnus Arij scissionem ante duos annos præuidit, ut testatur Athanasius; S. Benedictus Totilæ mortem in decimo sui Regni anno fore cum præuijs euentibus patefecit, vt scribit Gregorius magnus; Et ex recentioribus videas quanta præuiderit, prædixerit, & penetrauerit remota, & arcana, S. Brigitta, S. Philippus Nerius, S. Franciscus Xauerius, S. Rosa Limana, & alij quos Catholica proponit Ecclesia venerandos. Lutherus verò, & omnes eius notæ deceptores, cum prædicerent Papæ, Cardinalium, Episcoporum, & totius Ecclesiæ Romanæ exitium ex suâ prædicatione, & scriptis futurum, qualiter se fuisse Pseudoprophetas agnoscant, qui temporum diuturnitate mendacij redarguuntur.

PROPOSITIO XVIII.

Christiana Sapientia veritatem fidei Catholicæ ostendit.

ITem electæ fidei veritatem demonstrat sapientia ipsa, quâ Christus Dominus, eiusque fideles, in Ecclesiâ per omne tempus resplendent. Vt de innumeris Ecclesiæ Sanctæ filijs mundus mirari possit, non secus, atque Iudæi de Christo, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Eodem modo videntes Petri constantiam, & Ioannis (in concio- *Io. 7. 15.*

nando

nando, & teſtificando veritatem) com-
perto, quod homines eſſent ſine literis,
& idiotæ, admirabantur, & cognoſce-
Act. 4. bant eos, quoniam cum Ieſu fuerant. Ie-
13. ſus autem annorum duodecim in medio
Doctorum æterni ſui Patris ſapientiam
manifeſtauit, dum ſtupebant omnes, qui
Luc. 2. eum audiebant, ſuper prudentiâ, & re-
47. ſponſis eius; & interpretantem Iſaiæ va-
ticinium de ſe; Mirabantur in verbis
gratiam; quæ procedebat de ore ipſius,
& dicebant: Nonne hic eſt filius Ioſeph?
Luc. 4. ſed ex doctrinâ ipſâ nouiſſe poterant filiũ
18. Dei, cum aſſeruit mirantibus dicens:
Io. 7. 17. mea doctrina, non eſt mea, ſed eius, qui
miſit me. Eius ergo doctrina tantæ vir-
tutis & efficaciæ eſt, ut ignaros diuinitùs
inſtruxerit ad conuincendos ſæculi ſapi-
entes ſine alio ſtudio, quàm orationis, &
fidei; imò in inſtanti per ſpiritus infuſi-
onem erudijt; vt de perſecutore Paulus
factus ſit Doctor gentium; & diſputan-
Act. 6. tes cum Stephano non poſſent reſiſtere
10. ſapientiæ, & ſpiritui, quo loquebatur. Et
hoc maximè eſt attendendum, quod cum
adeò difficilia creditu proponerent Apo-
ſtoli, eiuſq; ſucceſſores, Græciæ, & La-
tij viris ſapientiſſimis, & primariis Phi-
loſophiæ Profeſſoribus; nihilominùs de
illis trophæa retulerint, & Chriſto ad-
iunxe-

junxerint. Quid memorem Catharinæ Virginis, & Martyris gloriosum cum Philosophis certamen, & palmam? Quid prodigiosam Dionisij Areopagitæ, & Iustini Platonici conuersionem? Sed ut me citiùs expediam; Sanctorum Patrum Bibliothecã ingredere, & perpende pedetentim in singulis Ecclesiæ sæculis Doctores, & Magistros veritatis, Clementem, Hierothæum, Theophilum, Irenæum, Cyprianum, Athanasium, Hilarium, Ephrem, Basilium, Gregórios, Cyrillos, Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Fulgentium, Anselmum, Albertum magnum, Bonauenturam, Thomam Aquinatem, Ioannem Duns Scotum, & mille alios, quos longum esset referre; quorum opera tantæ sapientiæ radijs referta videbis, vt nisi ad ipsorum lucem Catholicæ fidei veritatem attrectaueris, amentiâ labores. Quis enim ingenij perspicacitate se præferat ijs, vt plus illis sapere velit, qui Catholicam fidem amplexati, eam, quam profitebantur, & dictis tuebantur, & factis? Putabam aliquando vehementi rationum molimine hæreticos in fidem inuehi; sed cum semel mihi licuit illorum volumina atterere, demirari non cesso, quàm debilibus innixi fulcris vniuersalis Ecclesiæ consortia detestati,

Babe-

Babelis turrim exædificare præsumpse-
rint. Lutheri operâ dicterijs, contradicti-
onibus, scurrilitate, fastu, strepitu, fimo,
verbisq; scatent obscænis. Melanthonis
libri perplexitate pleni; Caluini scripta
vt grammatizent, blasphemant. Omnia
impia, sacrilega, in odium hominum, &
Diuinorum. Quid reperias in ipsis tale,
quod in simplici Thomæ Kempensis opu-
sculo inuenies? Quid, vt compungaris ad
pœnitentiam, & huius mundi contemptũ,
vt in Sancti Bernardi Lectione? Quid vt
in Deum eleues mentem, sicut ex operi-
bus Blosij; & Dionisij Cartusiani contin-
git? Quid, vt accendaris suauiter amore
Christi, vt ex libris Francisci Salesij euenit
passim? Quid, vt erumpant fletus deuoti-
onis, sicut prouocant feruidæ Catharinæ
Senensis Epistolæ? Quid, vt altissimæ con-
templationis apicem vestiges, sicuti The-
ressiæ Virginis scripta demonstrant? Et
quid adhuc dicam? deficiet enim me tem-
pus enarrantem de traditâ Magdalenæ de
Pazzis sapientiâ, de Gertrudis diuinis insti-
tutionibus, alijsq; in humilitate fidei diui-
nitùs eruditis, quorum, quarumue scripta
si delecteris legere, paulatim senties quàm
suauiter ab operibus carnis ad Dei viuen-
tis mancipatum trahêris, vtiliùs, & dele-
ctabiliùs profectò, quam praua interdicto-
rum

rum voluminum lectio soleat incautos ad præsentis vitæ relaxationem, & sensuum concupiscentias peruertere.

PROPOSITIO XIX.
Miracula Ecclesiæ Dei veritatem demonstrant.

SEd quod maximè Diuinæ fidei veritatem in Ecclesiâ promouet, & promouit semper fuit miraculorum prodigiosa operatio; Cum enim fides sit cognitio superans humanæ mentis naturalem intuitum, per opera naturam excedentia Deus illam manifestauit, vt tutò reciperetur. Idcircò Moyses diuinis portentis & ante- *Exod. 7.* acta à mundi constitutione confirmavit, *8.* & agenda persuasit Israelitico populo, & prænunciavit futura. Eodem modo Christus, vt manifestaret quis esset, cæcis vi- *Matth.* sum, claudis gressum, surdis auditum, mu- *11. 5.* tis loquelam, aliisq; languentibus integrâ *Marc.* reddidit sanitatem; Dæmoniacos libe- *1. 27.* rauit, mortuos suscitauit, tempestates se- *Luc. 8.* davit; aquam commutavit in vinum; pau- *25.* cis panibus millena hominum satiauit, *Io. 2. 1.* & talia, tantaq; miracula fecit, vt invi- *Id. 6. 9.* da Pharisæorum conciliabula diceret. *Matth.* Quid facimus, quia hic homo multa signa *27.* facit; si dimittimus eum sic, omnes cre- *Io. 11. 47*

dent in eum. Sed ad salutem rectiùs
concludebat Nicodemus dicens: Rabbi,
Io. 3. 2. scimus, quia à Deo venisti Magister; ne-
mo enim potest hæc signa facere, quæ tu
facis, nisi fuerit Deus cum eo. Eâdem mi-
raculorum gratiâ propagauerunt Eccle-
Act. 2. siam Apostoli; & dono linguarum à Spi-
ritu Sancto illustrati per diuersas mundi
partes diuisi concorditer pro Christo o-
mne subierunt incommodum. Quot æ-
grotos sanauerint, quot mortuos suscita-
uerint, quot energumenos vindicauerint,
quis possit referre? Si Iconij multo tem-
pore demorati sunt fiducialiter agentes in
Act. 14. 3. Domino, testimonium perhibente verbo
gratiæ suæ, dante signa, & prodigia fieri
per manus eorum; quid alibi fecerint, vbi
diutiùs morabantur? Quid dicam verò de
illo Gregorio qui miraculorum magnitu-
dine, & numero Thaumaturgi nomen est
adeptus? Sed vt vela traham ad nostro-
rum temporũ littus, quid de Sanctis Fran-
cisco Assisiate, & de Paulâ, & Patriarcha
S. Dominico, qui in Romæ ipsius con-
cursu Napolioni vitam restituit? extant
vbiq; locorum in Christiano Orbe mira-
culorum monimenta; & adhuc in diem
in Sanctorum numerum neminem recen-
set Ecclesia, nisi portentis divinis ritè pro-
batis. Ea verò potestas exorcisandi op-
pressos

pressos à diabolis, passim cum fructu obsessorum exercetur; sed quoniam incredulos nec visa miracula mouent, quantò minùs relata? plures ut credant, aiunt: Volumus à te signum videre: sed numquid viderunt signum à Luthero, aut Caluino, aut ab alio quocunq; nouatore, quod illi crediderunt? væ vobis ne Christus dicat; generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Vt videant Petrum in successoribus eius tanquàm Ionam fluctibus quidem obrutum, sed nunquàm, in tempestate perire. *Matth. 12. 36.*

CONCLVSIO

IGitur, si hanc fidem Catholicam miracula supernaturalem demonstrant; (p. 19.) sapientia diuinitùs infusa diuinam ostendit; (p. 18.) Propheticum Dei flamen verissimam indicat; (p. 17.) Mirabiles in Deum conuersiones tutissimam asseuerant; (p. 16) Studium castitatis purissimam; (p. 15.) Quid me seperabit ab ipsâ? tribulatio, an angustia, an periculum, dum pro ipsâ & mori sit gloriosum? Ah Philopiste carissime, Ecclesiasticæ legis jura si temporale quid exigunt, an temporalis potestas abstinet à tributis? *Rom. 8. 35.*

vltrò temporalia concede, qui ſpiritu
1Tim. 6 ambulas; (p. 14.) Nihil enim intulimus
7. in hunc mundum, haud dubium, quod
nec auferre quid poſſumus. Ita liberiùs,
& ſæpius, quàm præceptum ſit, ſacrâ ſy-
naxi refici poteris; nam adhærere Deo,
Pſ. 72. bonum eſt: (p. 13.) ſi ſæpius Sacramen-
28. tali confeſſione expiatus criminum ſordes
euitare curabis; (p. 12.) Quid ultra ſi
pro meâ fide crebrò abſtinentijs, ieiunijs,
mortificationibus meâ ſponte, & in Eccle-
ſiæ morem diſcrucior? (p. 11.) Rides,
conuiua liber? ego pro te ingemiſcam;
quoniam noui, quod; qui ducunt in bo-
Iob. 21. nis (huius ſæculi) dies ſuos, & in pun-
13. cto ad inferna deſcendunt. Redarguis
me otij, plurium feſtorum ſeruatorem?
(p. 10.) ego autem nec ipſis ſolis con-
tentus, dies omnes ſolenniter Deo feria-
ri deſidero: quid dulciùs, quàm Deo
vacare? otium eſt? ſed à Chriſto in
Luc. 10. Magdalenâ commendatum. Si laborare
38. oporteat, ſit labor Marthæ; aut pro Chri-
ſto, aut propter Chriſtum. Quia nemo
2Tim. 2 militans Deo implicat ſe negotijs ſæcu-
4. laribus, ut ei placeat, cui ſe probauit.
Odiſti me ſacris aſſiſtere, imò & Miſſa
celebrare? (p. 9.) Ego autem te non
intereſſe doleo, quia quod neſcis con-
demnas. O utinam ſinas redigi in orbi-
tam

tam Ecclesiæ Sanctæ legibus, (p. 8.) Diuinis Euangelij institutionibus, & consilijs (p. 7.) Perfectissimis Christi Domini documentis: (p. 6.) Tunc verè lumen cum gustu reciperes; tunc verè fidei veritatem intelligeres; Tunc Ecclesiæ Romanæ primatum agnosceres; (p. 5.) Tunc Iesu Christi vnam dilectam inspiceres. (p. 4.) Obsecro te, Philopiste, tibi consule, non temerè, sed considératione maturâ. Ego ab adolescentiâ meâ meditatus sum in lege Domini, & fidei Sanctæ Mysterijs; & conscientiæ securitate gaudens, mentis claritate securus, cordis gaudio efferor, vt pro hac fide, & Ecclesiâ velim omnia mundi mala sufferre, & pati (p. 3.) Certissimus in medio (p. 2.) Constantissimus in electione: (p. 1.) vt in hac Ecclesiâ perseueranti mihi viuere Christus sit, & mori (pro ipsâ) lucrum.

Cant. 6. 8.

Phil. 1. 21.

ARGVMENTVM V.

De explicita Fidei Confessione.

PROPOSITIO I.

Credo in Deum naturâ vnum, Personis Trinum.

IAm prodire gestiam in electæ Fdei confessionem explicitam; ne vniuersa

li detentus disceptatione, videar maiora difficultatum tela cauere. Et primò quidem in vnâ Deitate Trinitatem Personarum profiteor; credens in Deum Patrem Omnipotentem, qui cum vnigenito Filio, & Spiritu Sancto vnus est Deus; non in vnius singularitate Personæ, sed in vnius Trinitate substantiæ; & in hac confessione veræ, sempiternæq; Deitatis, & in Personis proprietatem, & in essentiâ vnitatem, & in maiestate æqualitatem adoro; eo penitùs modo, quo Symbolum Athanasij contra Arianos, quod Ecclesia
Matth. Catholica tenet, fusiùs explicare conatur.
28. 19. In huius enim SS. Trinitatis nomine Christus suos fideles ad fontem Baptisma-
1. *Io.* 5. tis expresse vocauit: Quoniam tres sunt,
6. qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum sunt. Propterea quia tres erant Personæ, in hominis creatione dixerunt:
Gen. 1. faciamus hominem ad imaginem, & simi-
26. litudinem nostram: Et præuaricatori: ecce Adam quasi unus ex nobis factus
Gen. 3. est, sciens bonum, & malum. Hinc enim
22. & in figurâ Abraham tres viros vidit, &
Gen. 18. vnum adorauit: Et psaltes cecinit. Ver-
3. bo Domini cæli firmati sunt, & spiritu o-
Ps. 32. 6. ris eius omnis virtus eorum. Et Ioannes
Is. 6. 3. cum Isaiâ trisagion cantare audierunt.

Præte-

Præterea & ratio tanto Mysterio tribuit vectigal, inquiens. Deus summè seipsũ intelligens, sicut omnes mentes producũt rei intellectæ verbum, ità sui ipsius in seipso verbum exprimit, quod est imago suæ Deitatis intellectæ, & figura substantiæ eius: sed huiusmodi verbum, imago, & figura in Deo non est accidens, quia argueretur imperfectio in ipso; neq; est alia natura à Deo; quia Deus est maximè vnus; neq; tamen est res à suo principio indistincta; quia principium intelligens non est verbum intelligentis; ergo in eadem naturâ est subsistens principium, & verbum; Quod cum ex vi processionis per intellectum fit in similitudinem naturæ, conuenientissimè dicitur filius, rursùs in hac duplici Hypostasi consideranda est perfectissima voluntas; quæ mutuò propendet in terminum amoris infiniti. Hic autem amor, vt priùs, neq; accidens potest esse, neq; alia substantia ab vno Deo; neq; quædam res omninò à suo principio indistincta; ergo in eadem naturâ Diuinâ à Patre & Filio procedit amor Diuinus per voluntatem, qui dicitur Spiritus Sanctus.

Apoc. 4. 8.

Colos. 1. 15.

Hebr. 13

PROPOSITIO II.

Credo Deum esse mundi Creatorem.

CRedo etiam quod Deus in Trinitate

Per-

Personarum vnus, ab æterno sibi sufficientissimus, & beatus suæ voluntatis beneplacito mundum ex nihilo creauit in tempore; & omnia visibilia, & inuisibilia, facta ex nihilo ab ipso; vt tunc res omnes creatæ cum ipso tempore, & motu inceperint, quando Deus incepisse voluit ab extrà, quas ab intrà in æternis suæ mentis decretis fouebat; eo communicandas ordine, & prouidentiâ, & modo, sicuti voluit, & vult; omnia in numero, pondere, & mensurâ gubernans, vbique præsens, primus motor, semper operans, semper immobilis. Hanc creationem describit Moyses in primo Geneseos;
*Ps.*145. 6. hanc Dauid affirmat dicens: fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt: Quia ipse dixit, & facta sunt:
*Ps.*148. 5. ipse mandauit, & creata sunt; & Ioannes: omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso
Io. 1. 3. factum est nihil, quod factum est; Et Paulus in areopago: Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt; hic cæli
Act. 17. 24. & terræ cum sit Dominus & ipse det omnibus vitam, & inspiratione͂, & omnia. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. Et ad Colossenses: Quoniam in
Colos. 1. 16. ipso condita sunt uniuersa in cælis, & in terrâ, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue

siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ad Hebræos: fide intelligimus, aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. *Hebr.* 11 10.
Ratio: quia si mundus, & motus fuit semper, ipsum nunc temporis non esset finis præteriti, & principium futuri; nam in æternis non est inuenire principium, & finem; cum ergo mundus aliquandò non fuit; habuit ante ipsum suæ creationis causam primam. Rursùs Deus est omnipotens, cum ergo ipsius potentiæ mundus, & omnia, quæ in eo sunt, subjaceant, si de toto esse ad totum non esse absolutè non posset redigere; aliquid in mundo esset, ipso Deo fortius, atq; potentius, quod scilicet non subiaceret eius potestati; si ergo nihil est Deo fortius, & potentius; cum oppositorum eadem sit ratio; sicut suâ omnipotentiâ potest omnia, & singula mundi redigere de toto esse ad totum non esse; id est ad nihilum; ita de nihilo ad esse; quod est creare: 3tio Omnia, quæ sunt in mundo, sunt in se insufficientia sibi, & non habent omnem perfectionem possibilem; ergò ab alio perfectissimo habent vt suppleatur illorum defectibilitas, & insufficientia. Hinc ait Christus Iudæis de Sab-

bathi

Io.5.17. bathi requie nimis solicitis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.

PROPOSITIO III.

Credo per primum hominem in genus humanum inualuisse peccatum.

CRedo item, quod primus homo Adam actuali Diuini mandati transgressione simul vnâ cum Euâ peccans, omnes suos posteros naturali generatione nascentes infecerit; ita, vt ab huius origine peccati nemo sit mundus à sorde (nisi specialissimo Dei priuilegio) neq; infans vnius Dei super terrã; propter quod vnusquisq; hominũ habet in se peccati fomitẽ, quo ad cætera actualia peccata inclinatur. Huius rei veritatem pandit Moyses in Genesi cap. 3. quam Paulus confirmat, di-
Rom.5. 12. cens: per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et
Ps.10.7 regius vates: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et Iob: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonnè tu, qui solus es? Quasi dicat, si actuali peccato Adam, & Eua suas animas coinquinarunt, vt statim in eorum corporibus inordinationem appetituum senserint, quâ motuum sensuali-

um

um nuditatem erubuerunt, dum viderent Rom.7:
in proprijs membris aliã legem repugnan- 21.
tem legi mentis, & captiuantem in lege
peccati, quæ per ordinationem facti re-
cepta est in membris carnis; quis inde
conceptus, & natus mundus esse possit?
quis ex aquæ turbidæ stagno limpidos
fontes deriuet? vtiq; solus Deus; aut aliâ
hominem viâ, quàm communi propagati-
one, producens; sicut natus est Christus;
aut exceptionis lege à communi maledi-
cto præseruans; sicut de Christi Matre
tenemus. Cæterùm alij omnes cum Pau-
lo dicere possunt. Peccatum per man- Rom.7.
datum operatum est in me omnem con- 8.
cupiscentiam: caro enim concupiscit ad- Gal. 5.
uersùs spiritum: spiritus autem aduer- 17.
sùs carnem: cum enim constet ab ho-
mine plura contrà rationis rectæ dicta-
men fieri, ea necesse est à malo princi-
pio oriri; concupiscentia autem absolu-
tè mala non est, sed quatenùs non subest
rationi, & fomes est peccati, est mala; er-
go mala facta est à principio malo; hoc
autem malum principium solum est pec-
catum, & culpa; nam cætera bona sunt
cum sint omnia à Deo; Deus verò non est
author peccati; ergo ex peccato in ho-
mine concupiscentia est mala; Deus eti- Eccl. 7.
am fecit hominem rectum; ergo appe- 30.
titus

titus, inordinatus in ipſo à peccato hominis eſt. Vndè eſt enim quod cætera omnia creatà iuxta finem ſibi præfixum operantur, homo autem rationis particeps iuxta rationem non vivat ab ipſis cunabulis, niſi quia in ipſo prædominatur origo primi peccati in quo concipitur?

PROPOSITIO IV.

Credo Myſterium Dominicæ Incarnationis, ac Redemptionis à culpis.

Io.3.17. CRedo pariter, quod Deus miſit filium ſuum in mundum, vt ſaluetur mundus
Matth. 1. 18. per ipſum; & de Mariâ ſemper Virgine ſpiritûs ſancti virtute conceptus carnem
Rom. 8. 3. humanam ſumens in ſimilitudinem carnis peccati, qui peccatum non fecit, Ver-
Io.1.14 bum caro factum eſt ex muliere, factū
Gal. 4. ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorū reciperemus propter quod adimplens diſpoſitionis ſuæ ſeriem ab æterno conſtitutam in reparationem generis humani, & à Prophetis ſuis prænuntiatam voluit, naſci, circumcidi, tradi in mortem, flagellari, ſpinis coronari, crucifigi, & ea omnia agere, & pati, quæ deſcribuntur à Sanctis Euangeliſtis; ſic enim per proprium ſangui-
Hebr.9. 13. nem introiuit ſemel in Sancta, æterna Redemptione inuentâ. Si enim ſanguis

hirco-

hircorum & taurorum. (in veteri testamento futurorum figura) inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis (per peccatum) ad seruiendum Deo uiuenti (per gratiam eius) quis enim poterat Deo per hominis culpas offenso satisfacere, nisi Deus? quoniam verò congruentiore medio, nisi carnis assumptione, vt in carne lueretur pœna, propter culpas, quas caro contraxerat? & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. *1. Cor. 15.22.* Quod si in Christo caro immaculata non sit, & omni prorsus labe peccati immunis, quomodònã filius Dei, & Deus dici, & esse posset? quomodo peccata hominum suo sanguine diluisset? quod enim sit Deus, Sancti Ioannis Euangelium mirificè probat, vt qui infirmitate carnis se verum hominem ostendebat, miraculorum portentis Deum verum de Deo vero se comprobauerit. *Ier. 29. 11.* Patratâ enim per hominem culpâ; cogitauit Dominus cogitationes pacis, & non afflictionis; vt quos creauerat, redimeret à peccatis, nè insolentia diaboli triumpharet. *Tit. 2. 14. Io. 1. 11. Luc. 1. 34.* Igitur in propria venit filius Dei;

& in

Matth. & in vnitate Diuinæ Personæ connectens
17. 5 naturam Diuinam, quam ab æterno Pa-
Matth. tre habet, cum humanâ naturâ, quam in
8. 17. tempore assumpsit à Matre, dum in ho-
*Rom.*5. mine infirmitates nostras portauit, diuini-
tate suâ mortem, & peccata deuicit.

PROPOSITIO V.

Credo Christi Domini Resurrectionem, & ad cælos Ascensionem, & homines resurrecturos.

1. *Cor.* CRedo similiter, quoniam Christus
15. mortuus est pro peccatis nostris secun-
Matth. dùm scripturas: Et quia sepultus est, &
28. quia resurrexit tertiâ die secundum scri-
Marc. pturas: Et quia visus est Cephæ, (id est
16. Petro, imò & mulieribus) & post hoc
Io. 20. vndecim: deindè visus est plusquàm
& 21. quingentis fratribus simul. Et postquàm
*Luc.*26. locutus est eis assumptus est in cælum, &
Marc. sedet à dextris Dei. Idest æqualis Patri
16. 19. secundùm diuinitatem, qui minor est Pa-
Io. 14. tre secundùm humanitatem, propter quā
28. Deus clarificavit filium suum, & exalta-
Id. 13. uit illum, dans illi omnem potestatem
31. in cælo, & in terrâ, quia filius hominis
Matth. est propter quod dicit: Ascendens in
28. 13. altum captiuam duxit captiuitatem, de-
dit dona hominibus. Quod autem ascen-
dit, quid est, nisi quia & descendit in in-

feriores

feriores partes terræ? qui descendit, *Eph.4 8*
ipse est & qui ascendit super omnes cæ-
los, vt impleret omnia. Hanc Dauid re-
surrectionem præuidit in psalmo 15. ex *Ps. 131.*
quo Petrus suadet, quod impossibile erat *11.*
teneri Christum ab inferno; quia jureju- *Ps.109.*
rando promiserat Deus de stirpe Daui- *1.*
dicâ ponere super sedem eius, à dextris
Dei: quare neq; derelictus est in inferno, *Act. 13.*
neq; caro eius vidit corruptionē: Quomo-
do enim mors attigisset authorem vitæ,
nè fieret inter mortuos liber? vndè & *Ps.87.6.*
primogenitus mortuorum nuncupatur, *Apoc.1.*
qui ex mortuis primus gloriosè resurgens, *5.*
non ampliùs moriturus, spem firmavit in *Coloss.1.*
homines, vt & ipsi in nouissimo die resur- *18.*
gere debeant, quemadmodum in suæ re- *Matth*
surrectionis triumpho, multa corpora *27. 52.*
Sanctorum, qui dormierant surrexerunt.
Si enim (vt ratiocinatur Apostolus) *1. Cor.*
Christus prædicatur, quod resurrexit à *15.*
mortuis, quomodo quidam dicunt in vo-
bis quoniam resurrectio mortuorum non
est? Si autem resurrectio mortuorum
non est, neq; Christus resurrexit. Si au-
tem Christus non resurrexit, inanis est
ergo prædicatio nostra; inanis est & fides
vestra. Ergò & qui dormierunt in Chri-
sto, perierunt. (Imò & quid allabora-
runt pro Christo millena hominum, &

jugi-

jugiter desudant in Ecclesiâ, si spes illo-
rum euacuetur in negando resurrectio-
Ib.n.19. nem mortuorum (Sic enim ex hac hy-
potheſi falsâ) si in hac vita tantùm in
Christo sperantes sumus, miserabiliores
sumus omnibus hominibus: Nunc autẽ
Christus resurrexit à mortuis primitiæ
v. 35. dormientium; quoniam quidem per ho-
minem mors, & per hominem resurrectio
mortuorum. Sed dicet aliquis: quomo-
do resurgunt mortui? qualiue corpore
venient? insipiens, tu quod seminas, non
viuificatur, nisi priùs moriatur. Et quod
seminas, non corpus, quod futurum est,
seminas; sed nudum granum, vt puta tri-
tici, aut alicuius cæterorum; Deus autem
dat illi corpus, sicut vult: & vnicuiq; se-
v. 51. cundùm proprium corpus &c. Ecce My-
sterium vobis dico: Omnes quidem re-
surgemus, sed non omnes immutabimur.
In momento, in ictu oculi, in nouissima
tubâ; canet enim tuba, & mortui resur-
gent incorrupti, & nos immutabimur.
Oportet enim corruptibile hoc induere
incorruptionem: & mortale hoc induere
immortalitatem: cum autem mortale hoc
induerit immortalitatem, tunc fiet sermo
qui scriptus est: Absorpta est mors in vi-
Oseæ.13 ctoriâ; vbi est mors victoria tua? vbi est
14. mors, stimulus tuus? Hic fidei articul[us]

tant

tanti ponderis eſt, vt Chriſtus ipſe Sadducæis reſurrectionem mortuorum negantibus dixerit: erratis neſcientes ſcripturas, neq; virtutem Dei: non legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium: & alibi: venit hora in quâ omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei; & procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in reſurrectionem judicij. Iob. 19. 25. & 21. 32. Iſa. 26. 19. Ezech. 37. 8. 1. Theſſal. 4. 13. *Matth. 22. 29.* *Io. 5. 28.*

PROPOSITIO VI.

Credo Ieſum Chriſtum Iudicem hominum, qui reddet vnicuiq; iuxta opera ipſorum, & ipſius promiſſa.

CRedo etiam, quod Ieſus Chriſtus eſt conſtitutus à Deo Patre judex noſter, vt non modo poſt mortem ſingulorum hominum judicet in æquitate ſuorũ promiſſorum & noſtrorum operũ omnes animas, tribuens illis aut præmium æternæ vitæ in cœlis, aut pœnam æterni ſupplicij in inferno; ſed etiam quod in fine mundi venturus eſt judicare viuos, & mortuos; & omnibus hominibus in carne propriâ reſuſcitatis decernet taliter; vt *Io. 5. 22* *Act. 10. 42.* *1. Petr. 4. 5.*

qui

qui bona egerunt, ituri ſint in vitam æter-
nam, qui verò mala, in ignem æternum.
Hoc prædxit Anna Elcanæ vxor dicens:
1. Reg Dominus judicabit fines terræ; & dabit
2. imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu
Rom. Chriſti ſui. Et Paulus ad Romanos in-
14. 10. quit: In hoc enim Chriſtus mortuus eſt,
& reſurrexit: vt & mortuorum, & vivo-
rum dominetur: Tu autem quid iudicas
fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fra-
trem tuum? Omnes enim ſtabimus ante
Tribunal Chriſti. Itaq; vnuſquiſq; noſtrû
pro ſe rationem reddet Deo. Et 2. ad
c.5.10. Corinthios: Omnes enim nos manifeſta-
ri oportet ante tribunal Chriſti, vt refe-
rat vnuſquiſq; propria corporis prout geſ-
ſit, ſive bonum, ſive malum. Propterea
hortatus eſt ſæpè nos Chriſtus dicens:
Matth. Vigilate itaq; quia neſcitis diem, neq; ho-
25. 13. ram. Et inde vniverſale Iudicium, & ſi-
v. 31. gna præcurrentia deſcribens ait: Cùm
autem venerit Filius hominis in Maieſta-
te ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc ſe-
debit ſuper ſedem Maieſtatis ſuæ, & con-
gregabuntur ante eum omnes gentes, &
ſeparabit eos ab invicem, ſicut Paſtor ſe-
gregat oves ab hædis, & ſtatuet oves qui-
dem à dextris ſuis, hædos autem à ſini-
ſtris. Et Iudicij concluſio: Et ibunt hi in
v. 46. ſupplicium æternum, juſti autem in vitam
æternam.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Credo in Spiritum Sanctum, à Patre, & Filio procedentem.

CRedo item in Spiritum Sanctum, qui
est tertia Persona Sanctissimæ Trini-
tatis, æqualis omninò Patri & Filio, qui
à Patre, Filioq; procedit. Inde enim Ie-
sus ait: Paraclitus autem Spiritus Sanctus, *Io.* 14.
quem mittet Pater in nomine meo, ille 26.
vos docebit omnia. Et rursùs: Cùm au-
tem venerit Paraclitus, quem ego mittã
vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à *Id.* 15.
Patre procedit; ille testimonium perhi- 26.
bebit de me. Quid enim missio illa reci-
proca Spiritûs Sancti à Patre, & à Filio
demonstrat; nisi quod & ab intra proce-
dit à Patre, & Filio, qui promittitur
Apostolis mitti à Patre in nomine Filij, &
identidem à Filio mitti in nomine Patris
ad extra, vt evenit in die Pentecostes? *Act.* 2.
An non procedat à Filio? de quo ait Ba-
ptista: Ipse vos baptizabit in Spiritu San- *Matth.*
cto, & igni? Christus in Spiritu Sancto 3. 12.
baptizans, ostendit non modò à Patre
suo, sed etiam à seipso simul Spiritum san- *Io.* 16. 7.
ctum procedere; Vndè dicebat: Expedit *v.* 13.
vobis vt ego vadam: si enim non abiero
Paraclitus non ueniet ad vos. Cùm au-
tem venerit ille Spiritus veritatis, docebit

vos

vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunq; habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Quid clariùs? Si omnia quæcunq; habet Pater, sunt filij; quid, si Pater amat filium, & reciprocè filius Patrē; & reciprocè non procedet SpiritusSanctus ab vtroq;? Amor enim Patris propendet in filium, & filij amor in Patrem; vt mutuò, & vicissim vtrinq; Spiritus Sanctus procedat.

PROPOSITIO VIII.

Credo vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.

CRedo quoq; in hoc mundo esse Visibilem Ecclesiam, à Christo, & successivè per Apostolos, Apostolorumq; legitimos successores fundatam; quæ per vnitatē fidei congregata, à Spiritu Sancto regitur, ne erret; & hanc Ecclesiam dico esse Catholicam, idest vniuersalem, sub vno summo Pastore, & capite Christi Vicario, & Petri successore legitimo militantem; qui est Romanus Pontifex Papa, & Primas omnium Ecclesiarum Christi, quæ sunt in mundo. Hunc articulum ab Apo-

stolis

ſtolis habemus, & Concilijs hæreditarium. Quid ergò intenderunt per iſta verba: Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam: niſi vt traderent regulam Spiritûs Sancti fidelibus; vt adhærerent illi Eccleſiæ quæ tenet dogmata magis vniuerſalia? Si enim Chriſtus promiſit Apoſtolis quod Spiritus S. docebit vos omnia? Et quod docebit vos omnem veritatem; ſi ſolis id Apoſtolis competebat; quare ipſi omnem veritatem nobis non manifeſtauerunt in ſcripturis? Quare ex ſcripturis diuerſi diuerſa intelligunt, & non omnes Chriſtiani conueniunt? quomodo dicat Chriſtus: ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſũmationem ſæculi? certè conſtat, quod Apoſtoli mortui ſunt, & adhuc non eſt conſũmatio ſæculi ergò Chriſtus vſq; ad conſummationẽ ſæculi cum alijs erit, qui vicem gerant Apoſtolorum, quibus dictum eſt: Vobiſcum ſum vſq; ad conſúmationem ſæculi? non inuenio autem in mundo Chriſti vniuerſaliorem Eccleſiã, & origine, & poſſeſſione hæreditariæ ſucceſſionis ab Apoſtolis deductam, quã Eccleſiam ſub Pontifice Romano militantem; aliæ enim aut ab illa defecerunt; aut recentiorem habent originem, quam ab Apoſtolis; aut in particularia dogmata, & ſectas euadunt; quibus

Io. 14. 26.
Id. 16. 13
Matth. vlt.

minimè conueniat dicere: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam esse hanc. Quid enim ex eo infertur, quod ait Christus: vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: nisi, quod Apostoli posteris insinuare voluerunt, cum statuerunt credendam esse Ecclesiam Catholicam, ut ibi Christus esse credatur, vbi vniuersalior est Congregatio. Quanquam enim dici soleat, quod paucorum est sapientia; tamen sicut in consenssu pluriũ circa artes, & mores melius est iudicium, quàm in contradictione aliquorum; ita Diuinâ prouidentiâ commendatur, vt fideles sui in consensu plurium tutiùs viuant credentes Ecclesiã Catholicam, quàm in quorumdam subtilibus disputationibus, quæ sectas diuersas constituunt. Neq; imaginari quis possit Inuisibilem Ecclesiam, cuius membra sint visibilia, homines viatores. Quomodo enim fuit à principio visibilis facta est in hoc mundo inuisibilis? Et quæ promissa est Petro firmiter ædificanda, vt non prævaluissent portæ inferi aduersùs eam; iam tenebricosorum sophismatum fascino de visibili inuisibilis euasit & ne concedatur vna esse vera, quæ num supremum Pastorem in terris cognoscit, nulla sit vera? Ah dicunt Christ

Matth. 18. 20.

Matth. 16.18.

capu

çaput eſt Eccleſiæ; Et: ipſe eſt caput cor- *Eph.* 5.
corporis Eccleſiæ: ſed quis negat hoc? 23.
imò addo, quod eſt caput omnis princi- *Coloſſ.* 1
patùs, & poteſtatis; qui habet in veſti- 18.
mento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex *Id.* 2.10
regum, & Dominus dominantium: ſed *Apo.* 19
qui eſt caput Chriſtus (inquit Apoſtolus) 16.
& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, *Eph.* 4.
quoſdam autem Prophetas, alios verò 11.
Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Do-
ctores ad conſummationem Sanctorum
in opus Miniſterij in ædificationem cor-
poris Chriſti, donec occurramus omnes
in vnitatem fidei: ecce quàm apertè
nobiſcum eſt Chriſtus caput Eccleſiæ
vſque ad conſummationem ſæculi:
ex quo totum corpus compactum, & con-
nexum per omnem juncturam ſubmini-
ſtrationis. Cum ergò manifeſte conſtet,
quod Chriſtus conſtituit Petrum Apoſto- *Matth.*
lorum Principem, ſupra quem complacu- 16. 18.
it Eccleſiam ſuam fundare, & cui claues
regni cæleſtis commendare dignatus eſt,
ſicut limpidè Euangelia teſtãtur. Quæ Pe-
trum ſemper pro loco nominant; & paſ-
ſim de ipſo texunt hiſtoriam. Omnes
tenemur agnoſcere in Petri ſucceſſore *Io.* 21.
quandam eminentiam Paſtoralis officij; 16.
cui ſoli præcipuè à Chriſto ter dictum ſit:
Paſce agnos meos; Paſce agnos meos;

Pasce oues meas? & aliàs: rogaui pro te, (Simon Petre) vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Se ergò subtrahant à Petri Pontificio, qui aut inter agnos, & oues Christi esse se denegant; aut saltem inter Petri fratres ascribi nolint, qui debeant à Petro tanquam primò inter illos confirmari. Præterea in figura, vna Ecclesia fuit

Exod.16 Synagoga Israel diuinitùs instituta, in qua

8. erat vnus summus Pontifex, cui alij Ponti-

Exo.29. fices, & Sacerdotes obsequium & decimas

& 40. ferebāt, & in ipso authoritatē doctrinæ, &

Leu. 8. judicij, & veritatis agnoscebant, vt amplè

Num.18 describitur Exodo, & Leuitico, & alibi pas-

Deut.10 sim; quid ni & Christus perfectiore modo suam non instituerit Ecclesiam? Quod cum nullam aliam in mundo inueniam neque meliore ordine legum, neque maiore sacrarum rerum curâ, neque solertiore religionis solicitudine, neque perfectiore Monarchiæ regimine, quàm hanc, quæ cum Romana Ecclesia consentit; ideò ex his quæ video, eleuor mente, vt credam hanc esse, quam fundauit Christus suo, & Martyrum suorum sanguine Ecclesiam.

PROPOSITIO IX.

Credo in Christi Ecclesia esse septem Sacramenta &c.

Credo

CRedo hinc quicquid prædicta S. Ecclesia Dei Catholica mihi proponit credendum; quia dictum est legitimis eius Prælatis. Qui vos audit, me audit. Et L.10.16
quia inter præcipua Mysteria fidei proponit mihi septem Sacramenta à Domino Iesu Christo instituta pro salute, & medicinâ hominum, qui redempti sunt, & talibus medijs pretium redemptionis consequuntur; ea pariter teneo, sicut prædicta Ecclesia me docet. Quid enim dicam inuentum humanum, quod in sua summa S. Thomas Aquinas tam clarè explicat circa hæc septem Sacramenta Ecclesiæ; si enim suo tempore, idest ante Annos 480. & ampliùs hoc docuit, quod in præsenti tenemus; certè & ipse ab Annis totidem ante, ex alijs scriptis & traditione recepit; sicut, & breui ductu vsq; ad Apostolos est deducere Sacramentorum vsum & fidem eandem. Nam inuentionis humanæ non est promouere sustinendas ratiocinio res difficiles; si ergò talia, quæ creditu difficilia videntur suadebant, utiq; veritatis fidei, & antiquæ doctrinæ Catholicæ motiuo mero fecerunt, sicut & nos facimus: cum ergò nos scrutemur antiquissimas memorias in omnibus Ecclesijs mundi, quæ adhærent Ecclesiæ Romanæ, & inueniamus in substantia fidei,

& Sacramentorum vnif rmem consensum; quamuis propter venerabilem antiquitatem seruent diuersos ritus, & cæremonias (in his enim Sponsa Christi, &
Ps. 44. Filia Regis æterni Ecclesia est circumamicta varietatibus) & monumenta eiusmodi reperiamus extare à quatuor, quinque, sex & amplius sæculis; nonnè & qui tam diligenter eas memorias reliquerunt, eandem solertiam adhibuerunt atq; nos, & maiorem, vt veritatem fidei secundum sensum Apostolorum retinerent? quis dubitet de lingua latina, aut Græca, ad nostra tempora per similem traditionem, & monumenta substantialiter deuenisse? & quanquam certi non simus de genuina illorum temporum, quando hæ linguæ viuebant, pronunciatione, accentibus, & plenâ verborum coordinatione, & nexu; tamen in substantia per datã traditionem antiquarum memoriarum dictas linguas attingimus; quid ergò de Diuina fide dicendum, quæ maiore prouidentiâ, quàm humana conseruatur? verè congruit, quod dicit Christus: quærite, & in-
Matth. 7.7. uenietis: si quærentes puritatem linguæ Latinæ ex bonis authoribus, & vetustis scripturis reperimus; Quid ni & quærentes veram fidem ex antiquatis non inueniamus eam esse, quam Sancta profitetur

Eccle-

Ecclesia Romana? reperias mihi in mundo, qui Sanctorum Patrum, & sacrarũ scripturarum vetustiora, & magis authentica seruet monumenta fidei, quam Vaticana Bibliotheca, & Italia tota; & maiorem adhibeat curam in scrutandis, seruandisq; ad amussim, quæ antiquitùs recepit quàm Ecclesia prædicta; & dabo manus. Ex quo traditionis argumento non modò Sacramenta, & quidquid est difficultatis in ipsis, sed & cultum Sanctarum Imaginum, & Ecclesiæ Romanæ Primatum, & omnia ferè ad fidem spectantia, confirmo. Nam si quid noui vellet introduci, certè nisi saperet relaxationem animorum, difficilè, & infortunatissimè eueniret. Ratio. Sicut in vita humana oportet nasci, fomentis confirmari, ali, ægritudinibus mederi, vires post ægritudines reficere: Pro Republica populus; pro religione ministri. Ita in vita Spirituali & Christiana datur renasci per Baptismа; roborari per confirmationem; nutriri per Eucharistiã; conualescere per pœnitentiam; refici per extremam vnctionem. Per matrimoniũ consulitur proli; per sacrum ordinem religioni Catholicæ. In numero Sacramentorum & Græci consentiunt; quod est maximum argumentum Apostolicæ traditionis.

PRO-

PROPOSITIO X.

Credo vnum Baptisma in remissionem
Eph. 4. *peccatorum, tum pro pueris, tum pro*
5. *adultis, & Sacramentum confirmationis.*

NAm sicut semel contingit naturaliter nasci, ita & semel spiritualiter renasci; vnde Nicodemo ait Christus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto,
Io. 3. 5. non potest introire in regnum Dei. At
cur excludamus impiè à regno Dei paruulos negantes illis Baptisma; si pro illis & Christus passus est? si Christus di-
Matth. xit: sinite paruulos, & nolite eos prohibe-
19. 14. re ad me venire: talium est enim regnum
Marc. cælorum. Et de his testatur S. Lucas, quod
10. 13. essent infantes, si rursus ait; qui suscepe-
Luc. 18. rit vnum parvulum talem in nomine meo,
15. me suscipit. Et si reijcis parvulos à Bapti-
Matth. smate quod nondum credant; mentiris,
18. 5. Christo cõtradicens, qui inquit: Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria. Credunt ergò parvuli Redemptori, qui misericorditer vocati ad se non contradicunt, & Baptismate fidem infusam recipiunt, ut deleatur in ipsis peccatum quod non fecerunt, sed origine car-
Gen. 17. nis contraxerunt. Et sicut infantibus Cir-
12. cumcisio

cumcisio olim dabatur; ita nunc ipsis in *Matth.*
eundem finem Baptisma non denegatur; 18. 14.
de quibus Christus testatur: Quod non est *Act.* 2.
voluntas ante patrem vestrum, qui in cælis 39.
est, vt pereat vnus de pusillis istis. Ideò *Ib.c.* 16
Petrus prædicabat dicens: Vobis enim 39.
est repromissio, & filijs vestris. Et Paulus custodi carceris petenti quid oporteret facere vt salvus fiat; ait: Crede in Dominum Iesum, & salvus eris tu, & domus tua: & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò. Hinc ergò mos, vt parvuli actuali parentum fide, promoueantur ad sacrum fontem, vbi adulti proprio consensu debeant accedere, qui dissentiendo contradicere actualiter possunt suæ redemptioni. Sed hoc traditione certè tenemus, ut Sacramentum Baptismatis à quocunq; vel quacunq; in formã
Ecclesiæ veram traditum valeat ad salu- *Io.*3.17.
tem æternam; quia videlicet cum Chri- *Matth.*
stus pro omnibus passus sit, omnes vocat 11. 28.
ad salutem; pro qua obtinenda adeò est
necessarium baptisma, vt voluerit sua mẽ- *Matth.*
bra in casu necessitatis sibi mutuo esse au- 28. 19.
xilio, & quod mandauit ut facerent ex officio Episcopi; concessit ut causâ vrgente præstarent & alij, sicuti & circumcisionẽ
legimus à Sephora Moysis vxore in filium *Ex.*4.25
suum administratam. Pro confirmatio-

nis

Ac.8.17 nis Sacramento habemus, quod Apostoli: tunc imponebant manus super illos (qui baptizati tantum erant) & accipiebant Spiritum Sanctum. Quam potesta-
Heb 6.2 tem Simon Magus petiuit obtinere pecu-
Id. Act. 19. 6. niâ: & eodem modo cap. 19. Act. dicitur: Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos. Christus
Matth. 19. 15. etiam parvulis manus imposuit; quare de huius Sacramenti Apostolicâ traditione in Ecclesia exstat S. Augustini authoritas lib. 2. cap. 104. contra literas Pitiliani, dicens: Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum, sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.

PROPOSITIO XI.

Credo in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri verum Corpus, & Sanguinem Iesu Christi sub speciebus Panis, & Vini. Eo scilicet modo, vt explicant Sancti DD. præcipuè S. Thomas Aquinas, & tenet S. Mater Ecclesia.

VEritas huius SS. Sacramenti non modo ex SS. PP. & Ecclesiæ DD. sed etiam ex Sacris Biblijs adeo lucidè affulget, vt sensu cæcutiant negantes, qui omnipotentiam Redemptoris non capiunt; dicentes: durus est hic sermo; & quis potest

test eum audire? sed audi testimonia Sacra: Matth: 26. 26. Cænantibus autem eis, accepit Iesus panem & benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum: Et accipiens Calicem gratias egit; & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Vbi in his verbis locum habet metaphora? An sanguis Christi metaphoricè, & per fidem est effusus? sed certè realiter est effusus sanguis, de quo hîc Apostolis ait: bibite ex hoc omnes: & ne daretur occasio errandi; subdit: dico autem vobis: non bibam à modo de hoc genimine vitis, vsq; in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Nunc in his verbis speculentur increduli: quod est genimen vitis? si vinum commune; certum est, quod Christus aliâ vice bibit ante mortem; nam in Caluario ante crucifixionem ait Matth. c. 27. Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum, & cum gustasset noluit bibere. Vtiq; sic gustauit; aliquam vini partem bibit. Sed neq; in regno cæli bibitur commune vinum; neq; per fidem; quia fides in cælo euacuatur. Patet verò quod Christus resuscitans, rebibit (vt sic loquar) suum

Io.6.61.

Matth. 26. 26.

Matth. 27. 34.

1 *Cor* 13 10.

suum verum sanguinem, reassumens effusum in suum corpus gloriosum, & illud genimen per gloriã resurrectionis novum reddens; & profectò in regno Patris æterni beati non alio cibo, & potu fruuntur, quam ipso Deo, & Christo Iesu. Sed audi
Marc. 14. 22. Marcum cap. 14. 22. Et munducantibus illis, accepit Iesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Quantus consensus in hoc explicando
L.22.19 Mysterio! sed rursùs & audi Lucam c. 22. 19. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: (traditum est autem in mortem corpus Christi verum) Inde sequitur: Hoc facite in meam commemorationem: similiter & calicem, postquàm cænauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur: Calix ergò est novum testamentum in sanguine Christi; sed vetus testamentum erat in Sanguine vero animalium, quæ figurabant Christum; cur ergo excellentius non debeat esse nouum testamentum, quod fit morte intercedente testatoris? cur per metaphoram dun-
Hebr.9. taxat, & non re ipsâ testamentum nouum datur in vero sanguine Christi? certè hic

sanguis

ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus; in veteri lege verus erat ſanguis; Exo. 24
in nouo teſtamento ſicuti verus ſanguis Chriſti effuſus eſt, ita calix in ſanguine Chriſti vero inſtitutus. Et ideò cohærenter Paulus 1. Cor. c. 11. 23. ego 1Cor. 11 23.
enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. At verum corpus Ieſu traditum eſt per nobis, non metaphoricũ, non per fidem ſolam conſtitutum; ergò & hoc ipſum porrexit Diſcipulis, & hoc ipſum efficiendum inſtituit dicens: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cænauit dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotiescunq; bibetis in meam commemorationem Et declarans tantùm myſterium expreſſiùs, inquit. Itaq; quicunq; manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis, & ſanguinis Domini: Quare? qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit: non diiudicans corpus Domini: Ergò diiucare oportet panem hunc, & calicem Domini; non eſſe panem communem,

munem, & vulgare vinum, ſed corpus, &
ſanguinem Domini. & ſuperiùs dixerat:
1Cor.10 Calix benedictionis, cui benedicimus,
16. nonne communicatio ſanguinis Chriſti
eſt? & panis, quem frangimus, nonne
Io.6.27. participatio corporis Domini eſt? Audi
tandem Ioannem cap. 6. qui narrat poſt
miraculum Chriſti, quo quinque panibus,
& duobus piſcibus ſatiauerat quinque millia virorum, quod quærentibus ſe Chriſtus
reſpondit: Amen, Amen dico vobis; quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia
manducatis ex panibus, & ſaturati eſtis.
Operamini, non cibum qui perit; ſed qui
permanet in vitam æternam, quem filius
hominis dabit vobis. De quo cibo, Philopiſte, videtur tibi Chriſtus hic loqui? de
fide? ſed fides non permanet in vitam æternam, ſed euacuatur in beata viſione:
nonne audis, quod promittit cibum, quem
filius hominis dabit: loquitur ergò de futura SS. Sacram: Inſtitutione, nò de fide, quã
paſſim docuerat, & docebat, & non differebat in futurum dare. Sed ſequaris legere prædictum capitulum; & dum reperis,
quod interrogant: Quid faciemus ut operemur Opera Dei? iam vides, quod Chriſtus de fide reſpondet, tanquam de fundamento operum bonorum, dicens: Hoc
eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem
miſit

misit ille: & tunc turbæ allegantes suæ incredulitatis motiuum dixerunt ei: quod ergò tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare. Ergò petunt signum ut credant, sicut habuerunt in deserto manna PP. illorum, ex quo signo crediderunt Moysi. Dixit ergò eis Iesus: Amen, amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum; Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo: quis est iste panis verus, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo nisi Christus: Et ne id ambigeres, ijs qui dixerunt: Domine semper da nobis panem hunc; Dixit eis Iesus: Ego sum panis vitæ; non dixit, fides est panis, sed: Ego sum panis vitæ. An Christus est fides? aut potiùs fide creditur, quòd Christus est panis verus, quem dat nobis Pater de cælo. Et sequitur: Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam: quare non esuriet, neq; sitiet? quia seipsũ animæ præbebit in cibum, & potum; quod si hoc fieret solâ fide, & non re, Anima adhuc esuriret, & sitiret amore coniunctionis maioris ad Iesum, quia magis

Exod. 16 14.

possset illi adhærere, quàm per solam fidem, & spiritualem apprehensionem: imò quid satiaret famem & sitim animæ Diuinus Amor, si adhæsio amantis cum amato maior est iuxta veritatem fidei, quæ est inter Creatorem, & creaturas? Nam
Ier. 23. 24. Deus omnia replet; & in nobis est Dominus: sicut ergò ad satietatem animæ
Id. 14. supernaturaliter Deum amantis, non sufficit vnio communis Dei ad creaturas, sed addit super hoc, vt per Diuinam gratiã anima eleuetur, & iustificetur & hoc nexu Deo intimè adhæreat; ita ad satietatem explendam animæ Christum Redemptorem amantis, non facit spiritualis apprehẽsio, & memoria per fidẽ, sed ulterius vt homo reuera dicere possit: inueni, quem
Cant. 3. 4. diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam: sed ecce quid in ipsa Christi doctrina sequitur: Murmurabant ergò Iudæi de illo quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit; murmur ergò Iudæorum erat, quia non credebant verbis Iesu Christi dicentis: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit: & dicebant nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus Patrem, & Matrem? Quomodo ergò dicit hic; quia de cælo descendit; certè si credidissent, quòd Christus à Patre æterno missus, de cælo descenderat
diffi-

difficultatem non habuissent & reliqua credere; & ideò Christus murmurationi satisfacit demonstrando, quod fides est Dei donum, quo trahi debeant ad se, vt credant suis verbis; & hoc dixit, vt ex cognitione ipsa humiliarentur ante Deum, & essent capaces recipiendi infusionẽ fidei, cuius obex est tumor mentis; & inde promissis alliciens ad credendum ait: Qui credit in me, habet vitam æternam. Et immediatè sequitur: Ego sum panis vitæ Quid est instantia ista, ut credant Christũ, cum repetitione illa: Ego sum panis vitæ? nisi quia rem arduam in fide proponebat credendam, propter quam deberemus mentem erigere, vt in filium Dei credamus, qui hoc asseruit: Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt in deserto manna, & mortui sunt: quid facit *Exod.16 13.* ista similitudo, nisi ut confirmet, quod de vera panis viui manducatione loquitur? manna manducauerunt verum cibũ, non metaphoricum, non credulitate hominum constitutum. Nam quis hominum merâ credulitate facere possit, vt quod non est aliquid, sit hoc aliquid? igitur neq; ipsâ mãducatione in fide hominũ fit, vt quod est panis, sit corpus Christi; sed re verâ panis consecratus per Diuinam voluntatem est corpus Christi; & fide credimus esse, quod est; non autem fide facimus esse, quod non est. Et ideo sequitur. Hic

eſt panis de cælo deſcendens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Nũc cogita, de quo pane ſit ſermo; panis de cælo deſcendens, Chriſtus eſt qui de cælo deſcendit: ergò hic panis viuus Chriſtus eſt; non panis triticeus ſimul, & Chriſtus; ſicut de cælo non panis triticeus cũ Chriſto deſcendit; ſed Deus homo deſcendit, & Verbum caro factum, & natum in Bethleem, quæ domus panis interpretatur; vt inde innueret, quod ipſe idem eſt, qui ſe daret in cibum, qui dignabatur pro nobis carnem aſſumere humanam. Et indè expreſſiùs declarat myſterium dicens: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: &: panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Quid vis ampliùs? Litigare cum Iudæis audientibus? quomodo poteſt hic carnem ſuam dare ad manducandum? De modo manducationis quæſtionem moues? ecce ſolutio, quam Chriſtus ipſe Iudæis addidit: Amen Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; quare? Quia Chriſtus eſt vera vita; & ideo: qui manducat (ait) meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: quia in ſe habet Chri-

ſtum:

ſtum; Caro enim mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Quomodo diſtorques in ſenſus varios quod hìc apertè audis dici, quod caro, & ſanguis Chriſti verè eſt cibus & potus? quia nimirum id nondum intelligis, quomodo fieri poſſit? certè quod Catholici credìmus, hoc poteſt facere Deus? vt ſubſtantia panis & vini tranſeat in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Domini; propterquem conuerſionis tranſitum transſubſtantiationis vocabulo vtimur ad exprimendum, quod accidentia panis, & vini remanent; neq; mutantur in aliquid Chriſto proprium; ſed ſub illis ſeſe ſpeciebus tradit nobis in cibum & potum, ſub quibus niſi eſſet, neq; ſenſus de Chriſti præſentia præberent intellectui motivum credendi; fide enim credimus, quod non apparet. Neq; homini viatori caro Chriſti daretur in cibum, & ſanguis eius in potum; nam manducamus, & bibimus, quod nobis ſub eiusmodi ſpeciebus offertur, quibus actio manducandi, & bibendi fieri poſſit. Et ecce modus, quo ſe Chriſtus Dominus manducandum nobis tradit, & bibendum: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo: eo videlicet modo ſe tradit in hoc Sacramento, vt ipſe integer in manducante &

bibente maneat; & manducans, & bibens in Christo; signum, quia manducauit, & bibit, hoc est, (ait August. Tract. 24. in Ioan.) si manet, & manetur; si habitat, & inhabitatur. Quæ illatio declarat mirabilem modum, quo continetur Christus in hoc Sacramento: & concinnè declarat S. Thomas Aquinas in sequentia, quâ vtitur Ecclesia, dicens: Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, & vinum in sanguinem; sub diuersis speciebus, signis tantùm, & non rebus latent res eximiæ. Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus, sub vtraq; specie. A sumente non concisus, non confractus, non diuisus, integer accipitur. Sumit vnus, sumunt mille; quantum isti, tantum ille: nec sumptus consumitur. Fracto demùm Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantùm esse sub fragmento, quantùm toto tegitur. Nulla rei fit scissura; signi tantum fit factura: quâ nec status, nec statura signati Christi minuitur. Quibus fidei portentis congru-
Ps.110. 4. it Dauidis vaticinium canentis. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus escam dedit timentibus se. Sed redeamus ad Christi verba: sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: Et qui manducat

me,

me, & ipſe viuet propter me; Et quartò repetit: Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit. Et ſecundò: non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Hic reflecte mecum, Philopiſte; quod Patres in deſerto manducauerunt manna in fide ſub talibus ſignis Chriſtum futurum credentes; quod teſtatur Apoſtolus dicens: nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptiſati ſunt, in nube, & in mari; & omnes tandem eſcam ſpiritalem manducauerunt: & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: bibebant autem de ſpiritali, conſequentes eos petra; petra autem erat Chriſtus: Hinc igitur deducere oportet, quod alio longè eminentiore modo Euchariſticus cibus, quàm ipſum manna contineat Chriſtum, non per figuram fidei, non tropicè, non ſpirituali tantum memoriâ; hæc enim omnia & mannæ congruunt; ſed cum dicat Chriſtus: Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: ſubinfert quod, qui dignè manducant ſe, habent vitam æternam, cum Chriſtus ſit reſurrectio & vita; in hoc Sacramento realiter ſit ipſe Chriſtus, cum dicat: Et

1Cor.10 1.

Io. 11. 25.

qui manducat me, & ipse viuet propter me. Collige hinc quàm ritè sub specie sola panis Christus detur extra sacrificiū, cum pluries se panem dicat ipse Christus,
Io.6.64 qui de cælo descendit. Sed ad eludendas tam claras scripturas ex eodem capite adduces, quod ait Christus: Spiritus est qui viuificat; caro non prodest quidquam; verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. At quam malè interpretaris notum per ignotiùs! Potiùs per manifestiora, interpretor hoc ignotum; vt veritate venerabilis Eucharistiæ integrâ, dicam; quod caro sine spiritu non prodest quidquam; sed in hoc Sacramento caro non est sine spiritu; ideo multùm prodest, cum neq; comedatur more carnium mortuarum, sed modo admirabili, & viuus Christus in cor nostrum descendat sub speciebus Sacramenti ad communicandum suæ passionis, & redemptionis meritum, & nostris culparum languoribus applicandam medelam. Vis autem intelligere quod verba, quæ locutus est nobis Christus spiritus, & vita sunt? Quia nimirum hoc efficiunt, quod promittunt, vt verba consecrationis à Christo tradita, dum per Sacerdotem legitimè ordinatum proferuntur supra debitam materiam, iam mirabiliter operantur virtute Christi, vt

panis

panis triticeus evadat in panem viuum, & vitalem, conuertatur in Christum ipsum; & vinum ex vuis expressum, euadat in potum sanguinis Christi, qui cum non detur sine ipso Christo, sub eadem vini specie & Christum ipsum continet, vt inde verè tenentes huius veritatem Sacramenti maneamus in Christo, & dum Christum sumimus sacramentaliter absconditum, Christus maneat in nobis; & nobiscum sit omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi. Matth. 28. 20. Hinc optimè sequitur Eucharistiam esse adorandam sicuti Christũ Dominum; quia re verâ est ipse Christus: nec facessit, quod lateat specie panis & vini; nam vbicunq;, & quomodocunq; est Christus, dignus est, vt ipsum veneremur, & adoremus: Hebr. 1. 6. neq hoc impedit, vt se in Sacramento tradiderit manducandum; quia non propterea denegat nobis, quod ipse sic constitus non possit in tabernaculis seruari, in processionibus circumferri, pro infirmis in viaticum dari, & omni reuerentiâ, & obsequio luminum, precũ, adorationum, & eiusmodi piarum actioni coli, & amari. Non enim manducatio nostra facit, vt sit Christus in Eucharistia; sed mãducationi præsupponitur Christi præsẽtia, & cultus præuius debetur; sicut & post mãducationẽ deuotio, & gratiarum actio 1 Cor. 11. 29. quamobrem Apostolus indignè acceden-

tibus minatur; & evangelista post sumptionem Hymnum fuisse dictum enarrat; *Matth.* *26. 30.* vt scilicet intelligamus, Christum in hoc Sacramento mirabili esse cultu dignũ ante, & post ipsius sumptionem. Has omnes de Eucharistico Sacramento veritates tot in Ecclesia miracula comprobant, quorũ plura adhuc in diuersis orbis terrarum partibus extant munimenta, & signa, vt ingens volumẽ vix in ea suffecerit enarrãda. Verum incredulis omnia incredibilia; *Io. 8. 16.* quibus & Christus ipse veritatem dicens, fidem non reperit.

PROPOSITIO XII.

Credo item in Sacramento Pænitentiæ remitti peccata post baptismum patrata, si ritè fiat, ut docet Ecclesia. Et in extremæ vnctionis Sacramento culparum reliquias delere.

VT enim supra dictum est Christus Dominus Apostolis dedit hanc facultatem absoluendi, & retinendi peccata, dicens: *Matth. 18. 10.* Amen dico vobis; quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunq; solueritis super terram; erunt soluta & in cælo. Et ex Ioanne: *Io. 20. 23.* Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Vbi verba ligandi,

di, ſoluendi, remittendi, retinendi: non ſignificant meram formam annuntiandi condonata peccata ex fide, vel ex alio pœnitentium actu; ſed facultatem ipſam à Chriſto Domino datam Apoſtolis, eiuſq; legitimis ſucceſſoribus, Sacerdotibus ritè ordinatis, vt ſoluãt, ligent, remittãt, retineãt prout in Dño iudicauerint expedire pro ſalute animarum æterna. Hanc verò poteſtatem ſpecialiùs recepit Petrus tanquam cæterorum caput conſtitutum à Chriſto, qui illi dixit. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & quodcunq; ligaueris ſuper terrã, erit ligatũ, & in cælis. & quodcunq; ſolueris ſuper terrã, erit ſolutũ in cælis: Sicut ergò quando in huius Sacramẽti figura iuſſi ſunt Diſcipuli duo aſinam alligatã ſoluere, & adducere eam cum pullo ad ſe; & Lazarum rediuiuum inſtitis manus, & pedes ligatum pariter ſoluere; reipſâ ſoluerunt, & non annuntiatione ſolâ indicauerunt à Chriſto ſolutum; ita & hoc accidit in pœnitentia, vt reuera Sacerdotes Chriſti Domini authoritate, & iuſſu ſoluant, quos per ſeipſum non vult ſoluere, ſed mediantibus Sacerdotibus. An non poterat in Lazaro, ſicut per ſe ipſum mortis vincula ruperat, ita & vincula manuũ, & pedũ diſſoluere? & tamẽ per alios hæc voluit ſolui, ſed cũ eius facultate, & iuſſu. Et ita iuſſu Chriſti Sacerdotes eius, per

Matth. 16. 19.

Matth. 21. 2.

culparum vincula solvunt; & non merè nuntiant per fidem esse soluta. Sed ah Sathanæ vafri versutia! Doctrinam in Ecclesia nouam Hæretici adinuenerunt, quoniam in seipsis cognoscebant nullam esse potestatem Sacramentorum; ideoq; cum charactere Sacerdotij careant (nisi sint Apostatæ ex clero Catholicorum) neq; corpus Christi verum in eorum cæna conficiunt, neq; peccatorum vincula soluunt. Vnde docent Christum in ipsorum pane non esse adorandum, quia ibi scilicet Christus non est; neq; peccata esse specificè confitenda, quia nimirum ad se non spectant audiri sacramentaliter. Et rem
Rom. 16.17. temeritate credulitatis tenentes, per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium; quare ait Apostolus ad Romanos: Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiuscemodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri; Deus autem pacis conterat sathanam sub pedibus vestris velociter. Quibus hæc scripsit Apostolus? Romanis. Non mirentur igitur hæretici; si Romani doctrinam, quàm didicerunt, strenuè retinent; confidunt enim, quod tanti magistri deprecatio exaudita sit; vt
Deus

Deus pacis conterat sathanam sub pedibus, illorum velociter. Nam & ibidem ipse gentium Doctor protestatur de ipsis, quod de alijs Ecclesijs nunquam asseruit, dicens: Vestra enim obedientia in omnē locum diuulgata est. Pro extremæ vnctionis Sacramento audiatur Iacobus in sua *Iac. 5:* Catholica, c. 5. Infirmatur quis in vobis? *14.* inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eũ, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei. Praxis verò refertur à *Marc. 6* S. Marco, qui de Apostolis ait: & exeun- *14.* tes prædicabant, vt pœnitentiam agerēt: & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.

PROPOSITIO XIII.

Credo in Ecclesia Dei esse potestatē Ordinis, & Iurisdictionis à Christo IESV.

QVia sicut Christus dixit Pilato: Regnũ meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri *Io. 18. 36* mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis: Nunc autem regnum meum non est hinc. Significans, quòd protunc nolebat temporaliter regnare post resurrectionem suam Apostolis inquit: Data est mi- *Matth.* hi omnis potestas in cælo, & in terra. *28. 10.*

Nunc

Nunc itaq; , Philopiste, considera; si Christus omnem obtinuit potestatem in cælo, & in terra; num hoc afferit gratis, ne communicaret illam Apostolis? Num minore pollebat prudentiâ, quam habeat quilibet homo sensatus? Vir autem prudens, qui tantâ potestate à Deo donatus
Rom.13 esset, (non est enim potestas nisi à Deo) quid faceret, si vellet sibi totum mundum subigere? an non eligeret ex libris politicorum illud melius regimen, quod in hunc finem collimat? meliorum verò Philosophantium consensu ea est monarchia; aut si quid disputare velint; hoc tamen omnes concorditer concludunt, vt vel in Republica libera constituendum sit vnum caput præ cæteris. Quæ autē sunt, à Deo ordinata sunt; imò & Dei per-
Ib.11.1. fecta sunt opera. Igitur cum Christus
Deut.31 venerit, vt omnes totius mundi gentes su-
4. bigeret in diuinæ fidei obsequium; debuit successiuè per sæcula tale regimen instituere, quale decebat Regem regum, &
Apoc.19 Dominum dominantium. Idcircò re-
16. gnum Ecclesiæ Christi Regnum Dei, &
Matth. Regnum cælorum sæpe appellatur; quia
3.2.&4 vniuersale est in tota terra, sicut cæli ter-
18.&13 rarum orbem circumplectuntur influxi-
Marc. bus; tum quia ad cælos homines dirigit.
4.11. Et Euangelium regni Dei nuncupatur,
quia

quia per Euangelij prædicationem Christi regnum in terris dilatatum eſt. Et ecce Ieſu Chriſti prudentiſſima politia. Vnum caput poſt ſe Petrum conſtituit in terris veram Eccleſiam, quæ crebrò regnũ cælorum in Euangelio nominatur, cui ſoli dixit: Tibi dabo claues regni cælorum. Cuius cum ipſe ſit oſtium; profectò nemo mortalium glorietur ſe ingreſſum, vel ingredi cui Petri claues oſtium non patefaciant; qui enim aſcendit aliundè, ille fur eſt, & latro. Et ne crederemus vanam Chriſti ſponſionem, qui ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Sicut patet quod nulla Apoſtolorum ſedes tanto Martyrum ſanguine conſperſa eſt, tantis tribulationum fluctibus impetita; vti Romæ Cathedra Petri; ita nullus Apoſtolorum ſucceſſor, ſicut Petri Vicarius, Romanus Pontifex, adeò firmitèr, longè, lateq; per orbem, & ſæcula regnat. Vt in eo compleatur quod dixit Angelus ad Mariam Virginem. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius; & regnabit in Domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Hanc eandem poteſtatem ſui regni dedit Chriſtus & cæteris Apoſtolis, ſed non ita amplam, ſicuti Petro

Marc. 1. 14. *Matth.* 16. 19. *Io.* 10. 4 *Ib. v.* 18. *L.* 1. 32.

tro

Petro, qui ideo in conſeſſu Ieroſolymæ cum magna conquiſitio fieret de circum-
Act. 15. ciſione ſurgens dixit: Viri fratres, vos
7. ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Et ideo de nullo Apoſtolorum hiſtoriæ teſtantur, qui tot Epiſcopos per diuerſas mundi partes ordinauerit, ſicut de Petro, & Paulo, qui illi ſe ſocium adiunxit.

Hanc ipſam in terris poteſtatem, quam Chriſtus dedit Eccleſiæ Catholicæ confirmat exemplum primorum fidelium?
Act. 4. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut
34. domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant; & pone-
Ib. c. 5 bant ante pedes Apoſtolorum: In Ananiæ verò, & Saphiræ coniugum fraude S. Petri poteſtatem præ reliquis oportet agnoſcere, qui tanquam primus judex facti, ſententiam protulit damnationis. Præterea Chriſtus nos docens modum fraternæ
Matth. correptionis, inquit: Quod ſi non audierit
18. 17. eos, (adhibitos teſtes) dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Igitur oportet in Eccleſia recognoſcere poteſtatem à Chriſto traditam ad quam recurramus, & audiendam eſſe teneamus. Hæc autem in terris poteſtas Eccleſiæ ſi ab Apoſtolis

non

non fuiſſet in ſuos poſteros, & ſucceſſores transfuſa, quomodo prouidiſſet Chriſtus perennitati ſuæ Eccleſiæ, dicens: ecce ego vobiſcũ ſũ omnibus diebus vſq; ad cõſummationem ſæculi? neq; dicas quod olim Pontifices, & Epiſcopi per Eccleſias à ſæcularibus Principibus conſtituebantur; & idcircò eſſe uſurpationem Eccleſiæ, quod nunc vice verſâ Imperatores à ſummi Pontificis poteſtate confirmentur. Nam & olim alia fuit ratio electionis Regum, & Imperatorum; quid inde? tempora variant ius legitimè ſecundum rationum exigentiam. Exquire omnes mundi Principatus, & ex infirmis exordijs dignoſces. Sed hoc verè mirabile, quod Petro Piſcatori in eius ſucceſſoribꝰ ſe ſe ſubdiderũt & Principes, & Reges, & Imperatores; ſed non ratione procul; nam maius eſt, quod ſpirituale, quàm quod terrenum; ſicut anima præeſt corpori, & ſacra profanis præcellunt dignitate. Et ideo Iſaias ait. Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt Dominum Deum tuum, & Sanctum Iſrael, qui elegit te. Quod verò in Eccleſiæ primordijs hoc non fuerit; neceſſitas, non ratio ſic adigebat; quia ut ait Apoſtolus: non priùs quod ſpirituale eſt, sed quod animale: deinde quod ſpirituale: ſicut fuit prius natura, in-

Matth. 28.20.

Iſ.49.

1Cor.15 46.

de ſtatus legis, ultimò gratia; ita in homine priùs tempore ſenſus regnant, inde ratio; ita in Chriſti Eccleſia priùs dominabatur ſæculum, quia totus mundus erat in vita animali, & ſenſuum indulgentiâ; quando autem fiet, vt omnes homines cognitâ veritate vnius fidei, congregentur vno ſpiritu ad ovile vnum; & vnus erit Paſtor in ipſis. Cæterùm quia omnis mundi Chriſtiani poteſtas in eundem finem tendit, vt homines pacificè dirigantur in Deum per iuſtitiæ opera; tantum abeſt, vt ſæculari Dominationi aduerſetur Eccleſiaſtica juriſdictio; & huic illa; quin potius vt mutuò ſe adiuuent, ſicut Moyſes, & Aaron; dum enim Eccleſia vacat orationi, & miniſterio verbi, & doctrinæ, & religionis, vt proſperè in Deum Reſpublica dirigatur; Chriſtiani Principis partes ſunt hæc eadem gladio tueri & defendere à malorum hominum iniurioſis incurſibus. Et hinc qui dixit: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; ut denotaret quod in Apoſtolatu eſt ſublimior poteſtas, alibi dixit: Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Quod enim magis appropinquat Deo, & Chriſto, ſublimius eſt; ſi Eccleſia Catholica religionis titulo, & inſtitutione ipſâ Dominij, magis Deo,

Io. 10. 16.

Rom. 13

1. *Cor.* 6.

Chriſt

Christo appropinquat, ergò potestate sublimior est. Hinc septuaginta duobus Discipulis, quos binos misit ad prædicandum, inter alia dixit: Qui vos audit, me Luc.10.
audit; & qui vos spernit, me spernit; 16.
qui autem me spernit, spernit eum, qui
misit me. Et paulò infra: Ecce dedi po- & n. 19.
testatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: Hæc ferè eadem testatur Matthæus quod Apostolus dixerit: Qui recipit vos, me recipit, & qui Matth.
recipit me, recipit eum, qui misit me. Et 10, 40.
Ioannes latiùs: Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. De se ait: O- Luc.10.
mnia mihi tradita sunt à Patre meo. Po- 22.
testas etiam clauium Ecclesiasticis censuris in contumaces, & reos, & canonicis impedimentis statuendis efficax esse deprehenditur ex ijs, quæ narrãtur in biblijs. Quid enim ligare possit Petrus in terris, si censuris non possit? Quid excutere eti- Luc.10.
am puluerem pedum iubentur Discipuli 11.
in eos, qui se non receperint? An pro euitando scandalo expedit & oculum pro- Matth.
prium, & manum, & pedem abscindere; 5. 29.
& non hoc idem in Mystico Ecclesiæ cor- & 18.8
pore? An non hoc est retinere peccata, vt reseruentur casus, vt quibusdam culpis

Io. 20. 23. apponantur censuræ, & maiore difficultate in Ecclesia absoluantur? Ex hoc quippe fundamento Sanctus Paulus incestuosam Corinthum absens iudicauit tradere
1.*Cor.*5. 5. huiusmodi sathanæ in interitum carnis, vt spiritus salvus sit, in die Domini N. *Iesu*
*&n.*10. Christi. Et inde præcipit, cum eiusmodi
1. *Tim.* 1.20. nec cibum sumere. Sicut re ipsâ tradidit sathanæ Hymenæũ, & Alexandrum hæreticos, vt discant non blasphemare. Et ad
2.*Thes.* 3. 6. Thessalonicenses ait: Denunciamus autem vobis fratres in nomine D. N. I. C. vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm tradi-
*&n.*14. tionem, quàm acceperunt à nobis: & infra. Quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite, vt fratrem. Et ad Titum: Hæreticum hominem, post vnam & secundã correptionem deuita: Sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit; cum sit proprio iudicio condemnatus. Quare proprio iudicio condemnatus? quia non vtitur iudicio in obsequium fidei, probans ratione fidem, quæ præsupponi debent
*Io.*3.18. rationi nostræ; sed adinuenit suâ ratione fidem, cui adhæreat, & ita opini-
*Io.*9.22. onem habet proprij judicij; non fidem Diuinam; qui autem non credit, iam judi-

catus eſt in damnationem. Et ſi hanc puniendi facultatem habuit ipſa Synagoga, quantò præſtantiùs Eccleſia Chriſti? & 12. 42.

Quoniam verò contrariorum eadem eſt ratio, ſi poteſtas Eccleſiæ ad pœnas peccantium ſe extendit, quid denegemus, proficuè ad indulgentias impertiendas non poſſe exerceri? Quales culparum remiſſiones, indulgentias, priuilegia, & gratias à Chriſto receperunt Apoſtoli? His verò dictum eſt gratis accepiſtis, gratis date. *Matth.* 10. 8. Hinc Apoſtolus: Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti, vt non circumueniamur à ſathana. 2. *Cor.* 2. 10. Porrò authoritas Petri eſſet imperfecta ligandi, & ſoluendi; ſi contumaces pœnis, punire, bonos autem præmijs cæleſtibus donare non poſſet. Cùm Chriſtus præcipuè Paſtoribus Eccleſiæ manſuetudinē demandauerit, & mitem in condonandis culpis, & pœnis voluntatem potiùs, quam ſeueritatem, & rigorem. Praxis tandem ſedecim ſæculorum, quibus concilia Oecumenica ſummorum Pontificum authoritatem præſetulerunt, vt pro legitimis haberentur; mirificè poteſtatem Eccleſiaſtici juris confirmat; ſicut & ad hæc vſq; tēpora diſpenſationes Matrimonialiū, gratiæ ſentētiæ, oracula, & priuilegia, quæ egitur ex curia Romana per totum Chriſtianū

orbem fiunt, ſtylo conſueto, & valdè antiquo, vt conſtat ex vetuſtiſſimis monumentis, legitimam hæreditatem Chriſti in ſuos Vicarios probant, pro qua & Sancti Petri Patrimonium Geographi ipſi conſtituunt. Et ſummo Sacerdotio veteris Teſtamenti ſucceſſit pro quo in Deut. c.17. dicitur: Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille. Quod verò ſpectat ad poteſtatem ordinis, cum affirmet
1. Cor. S. Paulus, quod in Eccleſia Dei neceſſe eſt,
12. 4. eſſe diuerſa miniſteria, dicit etiam quod in
n. 28. ter ipſos Deus poſuit, primum Apoſtolos:
& Rō. inter Apoſtolos verò Petro Euãgeliſtæ pri-
13. matum concedunt. Matth. 10. 2. ait; Pri-
& Eph. mus Simon, qui dicitur Petrus. Marcus c.
5. 5. 3. 16. Luc. 6. 14. Act. 1. 13. primo loco nominant. Quod autem eſt primum in aliquo genere, eſt menſura cæterorum; igitur & ſucceſſores Apoſtolorum, cuiusmodi ſunt Epiſcopi, eum inter ſe ordinem habent, & poteſtatem, quæ habebant Apoſtoli; & ſic Petri ſucceſſor primatum inter ipſos obtinuit; qui ergò in legitima Chriſti Eccleſia ſe eſſe tenent; probent ſuam legitimam ſucceſſionem continuam per aſcenſum vſq; ad Apoſtolos; alioquin in vera Chriſti Eccleſia non erunt, ſed ab

ea defeciſſe conſtabit; ſic defecit Lutherus, Caluinus, Zuinglius, Arrius, & alij, quos ſectarij pro Reformatoribus agnoſcunt; & à nemine legitimè miſſos, receperunt. Apoſtoli ergò quoniam erant primarij Diuinæ fidei promotores habuerunt à Chriſto pleniora chariſmatum dona, vt & in reliquos ſucceſſores authoritatiuè transfunderent in virtute Chriſti; quidquid ad commodum, & vtilitatem Eccleſiæ regendæ faceret; nam priuilegia ſpectantia indiuiduas perſonas Apoſtolorum, patet non eſſe transfuſa; & ſic eis Chriſtus dixit: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: & in cænæ inſtitutione conſtituens eos Sacerdotes; ait: Hoc facite in meam commemorationem; & laureâ Doctoratûs eos inſigniens, inquit; euntes ergò docete omnes gentes. Docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis. Et aliàs munus prædicationis commendans: dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent; & miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos. Et vt deueniret talis Eccleſiæ poteſtas ad noſtras tempora Apoſtoli alios ordinabant per manuum impoſitionem, ad miniſteria diuerſa, vt patet de ſeptem Diaconis; & Timoteo ait Paulus: Noli negligere gratiam,

Io. 20. 22.
Luc. 22.
Matth. ult.
Luc. 9. 1
Act. 6.

1. *Tim.* gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi
4. 14. per Prophetiam, cum impositione manu-
1. *Tim.* um præsbyterij. Cui pariter dicit: Ma-
5. 22. nus citò nemini imposueris. Et aliâ vice.
Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei,
quæ est in te, per impositionem manuum
2. *Tit.* mearum. Et ad Titum scribit: Huius rei
1. 6. gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt
corrigas, & constituas per ciuitates pre-
sbyteros, sicut & ego disposui tibi.

PROPOSITIO XIV.

Credo Matrimonium esse vnum ex septem Ecclesiæ Dei Sacramentis.

Gen. 2. MAtrimonium enim authoritate Diui-
28. nâ institutum, confirmatum, & resti-
Matth. tutum à Christo sicut fuit in principio, per
19. 15. Apostolum expressè venerabile celebra-
Marc. tur, dum inquit: Propter hoc relinquet
10. 7. homo Patrem, & matrem suam, & adhæ-
Ephes. 5 rebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna:
31. Sacramentum hoc magnum est; ego au-
tem dico, in Christo, & Ecclesia. Et Chri-
stus. Quod Deus coniunxit, homo non
separet. Mirum ergo est, quod Sectarij;
qui adeò præsumunt insistere sacris biblijs
ad literam; Sacramentum hoc vnicè ex-
pressum in ipsis, non solum, & vnicum
pro Sacramento, agnoscant. Nam neq;
duo, neq; septem expressè Sacramenta in

scriptu-

ſcripturis numerantur; ſed ſeptem nos eſ-
ſe docet & traditio, & Eccleſiæ authori-
tas, & ſcripturarum allata deductio. In
vno quoq; enim ex prædictis, eſt inuenire,
quod ſit, inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum;
& habeat omne, quod ad conſtituendum
Sacramentum requiritur, vt fuſius Theo-
logi. Sed quoniam excæcauit illos malitia *Sap. 2.*
eorum, ideo & neſciérũt Sacramenta Dei. 22.

PROPOSITIO XV.

Credo Sanctorum Communionem.

HAnc Sanctorum Communionem pri-
mò confiteor in participatione Sacra-
mentorum, quibus recipimus per gratiam,
& fructum redemptionis D. N. I C. & Sã-
guinis ipſius applicationem animabus no-
ſtris. Per hæc enim efficimur vnum cor-
pus Eccleſiæ, quod ab vno ſpiritu anima-
tur in fide, ſpe, & charitate; vnde ait Pſal-
tes: Particeps ego ſum omnium timenti- *Pſ. 118.*
um te; quantò magis amantium? Et S. 63.
Paulus: particepes enim Chriſti effecti ſu- *Hebr. 3.*
mus. Et aliàs apprecatur. Gratia D. N. I. 14.
C. & charitas Dei, & communicatio S. *2. Cor.*
Spiritus ſit cum omnibus vobis, Amen. 13.

Cultus & interceſſio Sanctorum.

Secundò dico hanc communicationẽ eſſe
etiam inter eos qui ſunt in via militantes,
& inter eos qui ſunt in Patria cæleſti tri-
umphantes; ita ut & nos vtiliter Sanctos
Dei

Dei electos inuocemus, & precibus nostris flagitemus ab illis auxilium, tanquã à Dei amicis; & illi nos viciſſim ſuis meritis, & interceſſione plurimùm juuent. Patet: nam fidelium viuentium in terra iu-
Act. 12. uant preces mutuò; quare pro S. Petro
5. in carcere detento fiebat oratio ſine inter-
2. Theſ. miſſione ad Deum ab Eccleſia; & S. Pau-
3. lus ſeſe Romanorũ Theſſalonicẽſſium, &
Coloſ. 4. Coloſſenſium precibus commendat. Sicut
2. & iuſſu Dei Iob orauit pro amicis. dicitur
Rom. 15 enim Iob autem ſervus meus orabit pro
30. vobis, faciem eius aſpiciam, vt non vobis
Iob. 42. imputetur ſtultitia. Quid ergò in cælis
7. Deus Sanctorum ſuorum faciem non aſpiciat? & ſi militantes in terris iuſſi ſunt à
Iac. 5 Iacobo orare pro inuicem in ſalutem?
16 triumphantes in cælis ſecuri de ſalute propria, nihil de noſtra erunt ſolliciti, qui
1. Cor. pleni ſunt charitate? non ſit Schiſma in
112. corpore, ſed id ipſum pro inuicem ſollicita ſint membra; ait gentium magiſter: Quantò magis de corpore ſollicita ſunt illa membra, quæ magis à ſpiritu viuifi-
2. Petr. cantur in Patria? ideò ait Petrus in ſe-
1. 15. cunda: Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. Veteris verò teſtamenti precatores ſæpe Abraham, Iſaac, & Iacob tanquam Dei amicos interponebant.

nebant. Machabæus etiam ex Onia audi- *Mach.*
diuit, quod Ieremias Proph. Dei multũ o- *vlt.*
rat pro populo, & vniuersa Sancta Ciuitate. Vidit etiam Ioannes ante Thronũ Dei *Apoc.5. 8.* viginti quatuor seniores, pronos coram Agno, habentes cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt ora- *Ib. 8.3.* tiones Sanctorum. Et rursus vidit; quod alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante Thronum Dei; & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Neque inferas in cultu Sanctorum idololatriam; nam Dei Sanctos colimus, & veneramur vt amicos Regis altissimi; & vt Patronos nostros cognoscimus, non vt Deum, aut Diuinitatem aliquam in se habentes; sed vt à Deo priuilegijs donatos tanquã fidissimos aulicos curiæ Cælestis; qui nos suis meritis, & intercessione lætificant. Quare tu homines salutas, & veneraris? quia scilicet in ipsis est imago SS. *Gen.9.6* Trinitatis; ad imaginem quippe Dei factus est homo: ideo diaboli, & damnati nullo sunt honore digni, quia in culpa obfirmati omnem Dei imaginem deleuerunt. Cum ergo electi Dei spiritus, & animæ iustorum in cælis, & Sancti omnes

expressiùs characterem summi Monarchæ præferant, maiore sunt reuerentiâ digni quantò magis per gratiæ confirmationem accedunt ad Diuinam visionem. Et hac notione in Ecclesia eos colimus. Inter Sanctos recognosco cum S. Dionysio Areopagita nouem spirituum choros; esse Angelos, & Archangelos sæpè scriptura testatur: Cherubim, & Seraphim mentionem Isaias facit cap. 37. 16. & cap. 6. 2. & alij. Thronos, Dominationes, Principatus, & potestates Paulus comemorat ad Colessen. 1. 16. virtutes cælorum Matth. cap. 24. 29. Item ad Ephesios asseritur Christus in cælestibus supra omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem S. Greg. hom. 14. in Euãg.

Purgatorium, & Precum Suffragia.

TErtio dico etiam communionem Sanctorum extendi animabus, quæ in purgatio detinentur. Pro qua re suppono existentiã purgatorij ut definit concil. Florẽt. Cum enim in Patriam cælestem nullum coinquinatũ introeat; multi autem Christi fideles de hac vita decedant contriti quidem, sed qui de peccatis non egerunt pœnitentiam condignam, aut leuioribus culparum maculis detineantur, quibus non debetur Gehenna ignis æterni, sequitur debere assignari locum expiatorium pro

eiusmo-

eiusmodi culpis, & perficienda pœniten-
tia; dicit enim Christus peccatum in *Matth.*
Spiritu Sancto neq; in hoc, neq; in altero *12. 31.*
sæculo remitti; supponit ergò quædam
esse peccata, quæ remittantur in altero
sæculo, vt si quis in hac via non sit cito
consentiens; post obitum tradatur in car-
cerem, vbi soluat, vsq; ad nouissimum
quadrantem. De hoc purgatorio inter-
pretantur Apostolum dicentem: Vnius- *Matth.*
cuiusq; opus quale sit, ignis probabit; si *5. 25.*
cuius opus manserit, quod superædificauit, *Luc. 12.*
mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, *58*
detrimentum patietur; ipse autem saluus *1. Cor. 3.*
erit; sic tamen quasi per ignem. De his
ergò ait S. Ioannes. Qui scit fratrem su-
um peccare peccatum non ad mortem,
petat, & dabitur ei vita peccanti non ad
mortem. Est peccatum ad mortem, non *Io. 5. 16.*
pro illo dico, vt roget quis (nam pro da-
mnatis orare non licet.) Et idem in Apo-
calypsi audiuit omnem creaturam, quæ
in cælo est, & super terram, & sub terra
dicentes: sedenti in Throno, & Agno;
benedictio, & honor, & gloria &c. Patet
verò, quod neq; diaboli, neq; damnati be-
nedicunt Domino; ergo sub terra sunt
animæ iustorum, quæ Domino benedi-
cant; dum expiant contractas in hoc sæ-
culo labes; in altero remissibiles. Dica-
mus,

2 Mach 12. 42. mus itaq; cum fortissimo Iuda Machabæo: Sancta ergò, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

PROPOSITIO XVI.

Teneo etiam cultum sacrarum reliquiarum, & Imaginum.

QVando enim prohibuit Deus, ne fierent sculptilia vt colerentur; vtiq;
Exo. 20. 5. prohibuit cultum idolorum, qualem habebant Ethnici, qui vel in statuis, & ima-
3. Reg. 6. 32. ginibus Diuinitatem quandam venerabantur; vel saltem referebant eas ad obiecta, quæ erant prorsùs omni veneratione indigna, vt ad Iouem, Saturnum, Venerem, & reliqua huiusmodi. Reliquùm constat, quod iussu Dei facta fuit
2. Par. 3 Arca Testamenti, & propitiatorium, &
Exod. 25. 18. in eo duo Cherubim aurei, & productiles ex vtraq; parte oraculi, qui se mutuò versis vultibus super Arcam expansis alis, re-
Hebr. 9. spiciebant. In Arca enim erant tabulæ testamenti, mannæ vasculum, & virga Aaron, quæ fronduerat; & quidquid ad tabernaculum, & templum spectabat, semper habitum fuit in magno honore apud Israelitas; vt panes Propositionis, velum sanctuarij, an erant propterea idololatræ,

quod

quod hæc venerabantur propter Diuinũ cultum? an non & circa ipsa animalia, quæ sacrificabantur magnâ stabant reuerentiâ, deuotione, ex hoc scilicet motiuo, quod futuri erant figuræ, & dirigebantur ad Deum? non secùs & salubriter Moyses Dei mandato serpentem æneum extulit *Num.21* in signum, in quem respicientes sanaban- *8.* tur. Salomon verò & citra culpam in *3.Reg.7* templo duodecim boues sculptos repo- *25.* suit, & Cherubim, & Leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis. Sed quid dicam de SS. Patribꝰ & Prophetis, qui non modo Sacra Biblia, Templum, & Aras venerabantur; sed persæpe sub diuersis figuris Deum ipsum colebant, sicuti Deus ipse ille sese manifestare dignabatur? Quod quidem & Ioannes in Apo- *Apoc.5.* calypsi facit, qui Christum sub typo Agni vidit à viginti quatuor senioribus adora- *Io.1.32.* ri; alter verò Spiritum Sanctum in specie columbæ. Et quatuor animalium similitudine quatuor Euangelistas Ezechiel, & Io- *Ezech.1* annes præfigurant; an propterea sicut hic in cælum introducit, & Christi fideles in *Apoc.4.* templa, inferet aliquis, quod in Ecclesia Christi veneramur & aquilas, & leones, & boues, & columbas? Ridiculum profectò, quod quis putet, à nobis & gallum, & asinum coli, & diabolum ipsum, quoniam

niam illum ad Petri negationem videat depingi, alium ad præsepe Domini; hunc verò sub S. Michaelis Archangeli pedibus. Sed sana Catholicorum mens est, & iudicium; vt exterius repræsentata discernant, & sanctâ discretione, quod est summè colendum, summè colant; quod alio dignum est honore, pariter in eum finem honorent, in quē omnia referuntur, quod est etiam contemnendum, contemnant, prout ipsa pictura significatur. Sic docet
Matth. Christus, non iurare omninò, neq; per cæ-
5.34. lum, quia Thronus Dei est; neq; per terram, quia scabellum est pedum eius; neque Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis: & ita infert proter Deum his rebus inanimatis habendum esse respectum, & honorem; quantò magis imaginibus, & reliquijs, quæ aut ipsum, aut suos charissimos amicos repræsentant? nimirùm Principum terrenorum, imò amicorum, coniugum, filiorum icones habentur in pretio, & seruantur; Dei verò, Christi, & B. Virginis, cæterorumq; Sanctorum memoriæ sint contemnendæ? Absit; vt ea media,
4. Reg. per quæ Deus dignatur suo populo grati-
13.20. as, & miracula impertiri frequentia, non
Matth. veneremur. Ossa Elisæi Prophetæ con-
14.36. tactu cadauer rediuiuum reddiderunt; fimbria vestimenti Christi infirmos latè sanabat.

ſanabat. Vmbra Petri hoc ipſum præſta- *Marc.*
bat. Et ſudaria, & ſemicinctia Pauli dela- 6. 56.
ta ſuper languentes, & energumenos ſa- *Act.* 5.
lutem afferebant. Quid denegamus ſacris 15.
reliquiis, & imaginibus, quæ aliquid plus *Act.* 19.
nobis deſignant, quam vmbra, & veſti- 12.
mẽntum? ſcio quod multa in hoc ge-
nere effingunt riſu explodenda Hæretici;
ſed quid immoror mendacijs, atq; calu-
mnijs? veritatem rerum inquirant, de i-
pſa ſine felle dijudicent. Certum eſt enim,
quod ita ſacras imagines, & Sanctorum
depoſita tractauerunt, qualiter nec ſibi fi-
eri vellent, poſt fata ipſorum. Vellentne
ſuas imagines à popello dilacerari, aut
per manum carnificis comburi, aut cada-
uer proprium honorificè ſepultum turpi-
ter exhumari, canibus tradi, aut aſini ſe-
pultura tumulari? Et quare hæc in cæli
ciues redegerunt ad praxim? eſtne
id amoris in Deum, & Sanctos indicium?
an non tenemur amare proximum noſtrũ?
quantò magis electos Dei, & Chriſti con-
ſortes in cælo Beatos? contemptus verò,
qui fiat uni minimo, Chriſto Domino in-
fertur. Quidquid ergò ad Deum refertur,
& appropinquat, eâ eſt honoris, & amoris
menſurâ proſequendum, quà magis, vel
minùs ad ipſum appropinquat, & refertur. *Dan.* 5.
Hinc contemptus etiam vaſorum ſacrorũ

Q fuit

fuit in Baltaſare punitus. Quanta porrò ſit utilitas, quod has ſacras memorias præ oculis noſtris habeamus, inde intelligimꝰ, quod frequentiùs in pios religionis affectus nos excitant; menti ſuggerunt Myſteria pro nobis perpetrata, exempla Heroica, & huiusmodi alia. Profectò nec ſine Phantaſiæ imagine Deum ipſum à nobis coli melior Philoſophia demonſtrat; quid ergò timeamus exteriùs imagines veritatis repræſentari, ut interiùs, crebriùs imago reformetur, ſub qua memores ſimus frequentiùs deuotionis, atq; pietatis? ita etiam Daniel in captiuitate de feneſtris apertis in cænaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat. Quia nimirùm templum ipſum in ſignum maioris recordationis reſpiciebat, in quo ſibi complacebat Deus adorari. Et hoc accidit etiam iſtis temporibus, ut magis in hac, vel illa Eccleſia; per hanc, vel illam imaginem Crucis, B. M. V. vel alicuius ſancti, per has, vel illas reliquias; quàm per alias manifeſtet ſuas gratias, & prodigia. An nõ & ut naturæ author magis ſe communicat per quasdã terræ fodinas, in quibꝰ aurũ, vel argẽtũ reperitur, quã per alias partes, in quibꝰ ſaxa, & arena? idcircò vtiliter, & religiosè Chriſti fideles venerantur imagines ſa-

cras

cras, atq; reliquias ſanctorum, & eo præ- Pſ. 67.
cipuè confluunt, quo audiunt mirabilem 36.
eſſe Deum in ſanctis ſuis, vt adorent ſca- Pſ.98.5
bellum pedum eius, quia ſanctum eſt. Sed ô ſathanæ verſutia! tollit ab hæreticis Miſſæ ſacrificium, Sanctorum inuocationem, Euchariſtiæ veritatem, imaginum venerationem, reliquiarum cultum, Proceſſiones, cruces, cæremonias Eccleſiaſticas, vt minùs religioſis actibus occupati, dum iſta videntes execrantur, properantiùs omnem Dei cultum, & religionem in ipſis aboleat.

PROPOSITIO XVII.

Credo tandem quidquid docet, Sancta Mater Eccleſia Catholica.

CVm enim reuelabilia, & credibilia ſint 2Petr.3.
numero infinita; & in ſacris Biblijs 16.
tot ſint propoſitiones de fide, quot ibi enunciantur; ſint etiam plurimæ obſcuræ intellectu, & quæ deprauari poſſunt; niſi me referam ad aliquod viuum, certum & infallibile principium, quod mihi ſit pro interprete, judice, & regulâ, vt ſecurò credam; expoſitus eſſem continuis errorum periculis, natans ſine cortice; ſine pyxide magnetiga, ſine gubernaculo, ſine magiſtro ad naufragium certiſſimum nauigans. Quid ergò me potiùs debeam ſub-

ijcere Anglicano Parlamento, aut Hollandiæ ſtatuum congreſſibus, aut cuicunq; alteri poteſtati ſæculari, & recentis memoriæ, & non potiùs Eccleſiæ Romanæ, & Petri legitimo ſucceſſori? huic enim Eccleſiæ aliquando omnes conſenſerunt, & ſingulæ; vt conſtat ex hiſtorijs; quod ſi non omnes modò illi adhærent, & conſentiunt; at plures adhærent; at aliæ defecerunt ab ipſa; quid igitur me defectoribus coniungam? an quia ſe ſe reformatâ fide reformauerunt in moribus? at non video iſtos reformatos meliores eſſe, quàm fuerint primi ipſorum Patres, qui fidem ſuſceperunt Romanam, ſed multò deteriores conſidero & moribus, & vitæ licentiâ. An quia Eccleſia Romana falli potuit, & defecit? ſed cur non aliæ potiùs? at
Luc. 22. 32. reperio, quod pro ipſa eiusq; infallibilitate diuerſæ ſcripturæ militant; pro alijs Eccleſijs non reperio. Defecerunt ab ipſa illæ, pro quibus non eſt oratum à Chriſto, ne illarum fides deficeret; ſed pro Petro Chriſtus precatus, ne deficeret fides eius; ſed aliquando conuerſus ſuos fratres confirmaret; obligat me maximè, vt ſub illius vmbra tutiſſimè requieſcam.

CONCLVSIO

EGo igitur, Philopiſte, ſic ſentio. Vnū

in

in Triade numen adoro, (p. 1.) omni-
um Deum Creatorem; (p. 2.) qui cum
deperditum culpâ hominem (p. 3) mi- *Gal. 4. 4.*
fericorditer ad fe reuocare voluerit, mifit
filium fuum factum ex muliere, factum fub
lege, vt fuæ paffionis, & mortis pretio nos
liberaret à mancipatu culparum. (p. 4.)
Inde ergò factus, ficut homo fine adiuto- *Pf. 87. 5*
rio, inter mortuos liber, afcensdens in *Eph. 4. 8*
altum captiuam duxit captiuitatem, de- *Pf. 67.*
dit dona hominibus; (p. 5.) Refurrectio- *19.*
ne fuâ, & triumpho in cælos, fpem no-
ftræ refurrectionis, & exaltationis viuifi- *Pf. 97. 9*
cans; vt cùm ad iudicandum venerit Or- *Matth.*
bem terrarum in juftitia; ituri fint ma- *25. 46.*
li in fupplicium æternum, iufti autem in
vitam æternam. (p. 6.) Sanctum verò
Spiritum à Patre, filioq; procedentem. (p.
7.) Ecclefiæ Catholicæ ita præeffe credo,
vt vnam conftituat, & fanctam, & infalli-
bilem, & in terris vifibilem, & quæ pe-
rire non poffit: (p. 8.) Cuius & caput,
& traditiones, & fcripturas, & concilia,
& documenta, & Sacramenta teneo; (p.
9.) Vnum Baptifma pro omnibus; &
confirmationem. (p. 10.) Vnum facrifici-
um Miffæ incruentum pro viuis, & defun-
ctis fidelibus; idem & verum corporis, &
fanguinis Domini Sacramentum. (p. 11.)
Pœnitentiam in remiffionem peccatorum

poft

poſt baptiſma commiſſorum: ſimul & extremæ vnctionis ſaluberrimum vſum: (p. 12.) Noui etiam in hac Eccleſia, ordinis, & jurisdictionis poteſtatem in traditis à Ieſu Chriſto clauibus regni cæleſtis; (p. 13) In Matrimonio autem inſolubilem
1. Cor. 7. 10. Ieſu Chriſti cum ſua Eccleſia ſponſa contractum, quo præcipit, vxorem à viro non diſcedere; & vir vxorem non dimittat. (p. 14.) Sanctorum quoq; conſortio frui geſtio, propter quod & cælicolis cultum, & purgatorij animabus ſuffragia fero; ut hinc retributionis ſpem foueam; illinc interceſſionis fructum excipiam. (p. 15.) Reliquias etiam ipſorum, & ſacras Icones veneror eo cultu, quo mente feror ad Archetypum ipſis expreſſum. (p. 16.) Et vt paucis omnia, quæ credo, cōplectar; quidquid Catholica docet Eccleſia, totum ad amuſſim profiteor, & firmiter credo. Nunc te, Philopiſte, mei judicem appello; ita ego credo, & ſicuti credo, ſic operor;
Iob. 14. 26. hæc eſt ſpes mea in ſinu meo, quæ fide incaleſcit; & ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi āērem verberās, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem
1. Cor. 9. 26. redigo: & ſi quid mali propter infirmitatem carnis meæ perpetro, pœnitentiâ di-
Act. 20. 24. luere ſatago; nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me; non parcens in-

quopi-

quopiam mihi; dummodò consummem cursum meum. Nunc inquam te judicem mei volo, Philopiste; dic sodes; ita credentem condemnas; ita ex fide me viventem adiudicas perennibus gehennæ tormentis? si sic me condemnas. Infelix ego homo; qui portaui jugum ab adolescentia mea, subdens me non modo Dei, & Ecclesiæ præceptis, sed votorum vinculis, & regularis vitæ rigoribus! siccine me damnas? at quamobrem? credidi vniuersaliora fidei dogmata, sententias à plurium & Doctorum, & populorum scriptis, & consensu approbatas; cor meum millies scrutatus sic credendum reperi, sic tutiùs viuendum, sic moriendum securiùs; & feci, quod sciui, & potui; & sic facio, & faciam, vt scio, & possum; & tamen tu me condemnas? si ergo in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, qui propter ipsũ omnia reliquimus; nosmetipsos abnegantes, ab omni voluptate sæculi abstinemus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si verò me approbas ita credentem, & iuxta quæ credo, operantem; quare & tu similiter non credis, & agis? quid times de te, quod neq; tu, neq; ego de me ipse timeo? si aliter, atq; ego, credis; te ipsum examina; quod profectò aliter atq; ego, operaris.

Thr. 3. 27.

1Cor. 15 19.

Con-

Confide te mihi intùs, & in cute; ſicut &
tibi hoc libello meipſum confidi: & au-
Io.3.20 dies de te ſententiam. Qui malè agit,
odit lucem, & non venit ad lucem, ut non
arguantur opera eius. Si quid ergò in
corde tuo latet, quod manifeſtum nolis,
vide cuius fidei ſit opus; & cuius non vis
2. Tim. me judicem, teipſum & mei, & tui renun-
4. 6. tio; ſed ad diem Domini. Si de tua cau-
ſa confidis; ſequere: benè crede; viue,
vt credis. Ego enim iam delibor; vt, cum
tempus reſolutionis meæ inſtat, cum A-
poſtolo dicere poſſim: Bonum certamen
certaui, curſum conſumaui, fidem ſervaui.
In reliquo repoſita eſt mihi corona
juſtitiæ, quam reddet mihi Domi-
nus in illa die juſtus judex.

A. M. D. G. Bq; V. M. H.

e; ſicut &
di : & au-
nalè agit,
n, ut non
l ergò in
m nolis,
non vis
ui renun-
tua cau
le; viue,
; vt, cum
cum A-
ertamen
a ſervaui
corona
Domi-
x.

H.